DE FIDE ET AUCTORITATE

DIONIS CASSII COCCEJANI.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

SCRIPSIT

D. G. JELGERSMA.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCLXXIX.

DE FIDE ET AUCTORITATE

DIONIS CASSII COCCEJANI.

TYPIS: L. VAN NIFTERIK HZ.

DE FIDE ET AUCTORITATE
DIONIS CASSII COCCEJANI.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

H. KERN,

PHIL. THEOR. MAG ET LIT. HUM. DOCT. ET IN FACULTATE LITERARIA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

Dominicus Gerbrandus Jelgersma,

E PAGO DRONGELEN,

DIE 23 MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXXIX, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,
Apud S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCLXXIX.

CAPUT PRIMUM.

In scriptorum, qui de historia Romana scripserunt fide dijudicanda inopia librorum, qui ab aequalibus conscripti sunt, impedimento nobis esse solet. Saepissime, si judicium ferre de aliquo scriptore volumus, necesse est alterius auctoritate niti, qui non magis quam is, qui in judicium vocatur, iis rebus, de quibus scripsit interfuit. Quibus rebus adductus, in quaestione instituenda de Dionis Cassii fide eam potissimum historiae Romanae partem elegi, quam maxime cognitam habemus ex scriptis aequalium, qui aut ipsi rebus gestis interfuerunt aut certe ex aliis audierunt. Eam partem dico, cujus initium est conjuratio Catilinae et cui mors Ciceronis finem imponit. Sed quum haec pars multo sit major quam ut in dissertatione complecti possit et praeterea animadverti vel in hac parte historiae Romanae esse permulta, quae sive Dionis, sive Appiani aut Plutarchi, sive aliorum, qui posteriore tempore scriptores vixerunt, auctoritate

nituntur et quae a scriptoribus aequalibus non commemorantur, etiam contrahenda mihi esse vela intellexi et constitui Caesaris commentarios praesertim commentarios de bello Gallico quasi fundamentum quaestionis esse oportere, qui scripti sunt ab eo, qui non solum rebus gestis interfuit, sed etiam praefuit. Sed una res obstat nempe judicium Pollionis de Caesaris commentariis, quod invenitur apud Suetonium in vita Caesaris cap. 56: „Pollio Asinius parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar pleraque et quae per alios erant gesta temere crediderit et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit: existimatque rescripturum et correcturum fuisse." De quo judicio prius pauca dicam. Primum hoc monere volo illud „existimatque rescripturum et correcturum fuisse" perspicue demonstrare Pollionem non cogitasse de dolo malo Caesaris in veritate celanda. Deinde afferam sententiam V. Cl. J. J. Cornelissen 1), qui parum probabile existimat eum sub Caesare in Gallia meruisse, quod argumentis ita probat. „Ejus enim in Gallia militiae prorsus nulla exstat memoria et certe non eam reticuisset in epistola illa, qua Ciceroni declaravit, cur in bello civili Caesaris partem amplexus esset 2). Immo vero ex epistola illa multo magis patere mihi videtur, Asinium belli civilis initio Caesari „modo cognitum" tunc demum ejus castra secutum esse. Nec meae opinioni obstat, quod cum Caesare fuit Rubiconis transitum

---

1) De judicio, quod de C. Julii Caesaris fide historica tulit C. Asinius Pollio. L. B. 1864 p. 5.

2) Cic. ad. fam. X. 31.

meditante 1). Fieri enim potest, ut quum per eos, qui Romae Caesaris absentis negotia procurarent, in ejus notitiam pervenisset et ab eo „vetustissimorum familiarium loco habitus esset", una cum Curione, Antonio, Cassioque et aliis Caesarianis Ravennam se contulerit, quum rem ad arma deductum iri jam satis appareret." Quibus argumentis, quamquam mihi satis firma videntur pauca addam. In epistola illa supra laudata Pollio ita scribit: „Caesarem vero, quod me in tanta fortuna modo cognitum vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide," ubi verba „in tanta fortuna" profecto intelligenda sunt de dictatura Caesaris, non de ejusdem proconsulatu in Gallia. Sin autem in dictatura „modo cognitus" Caesari erat, nullo modo fieri potest eum stipendia in Gallia meruisse.

Sed etiam res gravissimi momenti accedunt. Asinius Pollio natus est anno 76 a. Chr. n. 2), quandoquidem anno aetatis altero et vicesimo accusavit C. Catonem 3) tribunum plebis anni 56 a. Chr. n., qui anno 54 causam dixit ex legibus Junia Licinia et Fufia, sed „ante diem III Nonas Quinctiles absolutus est" 4). Quod quum constet nondum natus erat annos decem et octo, quum Caesar in Galliam proficisceretur, quem si comitatus esset profecto de semet ipso non potuisset praedicare: „natura mea et studia trahunt me ad pacis et libertatis cupiditatem" 5) et apud posteros non in-

1) Plut. Caes. 32.
2) Thorbecke de C. Asinio Pollione L. B. 1820. p. 3.
3) Dial. de Orator. cap. 34.
4) Cic. ad Att. IV. 15. 4.
5) Cic. ad fam. X. 31. 2.

signem famam doctrinae et humanitatis sed potius magnam gloriam bellicae virtutis adeptus esset. Quis enim credere posset adulescentulum qui ab anno aetatis duodevicesimo continuo versatus esset in maximis et periculosissimis bellis, eodem tempore dedisse operam arti tragicae et eloquentiae, quibus constat Pollionem inter omnes excelluisse? Sed ad Catonis judicium redeo. C. Cato „adulescens nullius consilii" 1) tribunus plebis anni 56 a. Chr. n. in initio tribunatus senatum et M. Catonem adjuvit, ne Pompejus in Aegyptum mitteretur ad Ptolemaeum Auletem Alexandria et regno pulsum reducendum 2), sed posteriore parte anni largitione, ut videtur, corruptus Pompejo Crassoque auxiliatus est, ut comitia consularia differrentur et res ad interregnum adduceretur 3). Quod, si Dioni credimus, ea de causa factum est, quod consules negabant se Pompeji et Crassi rationem esse habituros. Post tribunatum peractum non statim accusatus est, sed tandem anno 54 a. Chr. n. causam dixit ex legibus Fufia et Junia Licinia 4), accusatore Cajo Asinio Pollione, cujus oratio etiam tempore ejus, qui dialogum de oratoribus scripsit cum admiratione legebatur 5). Defensus est a. C. Licinio Calvo et a M. Scauro 6) et ante diem III Nonas Quinctiles una cum collega Sufenate absolutus; „ex quo intellectus est τρισαρειοπαγίτας ambitum,

---

1) Cic. ad Quint. fratrem I. 2. 5.

2) Dio Cass. XXXIX. 15. Conf. Cic. ad fam. I. 4. 1, 5. 2, 5*b*. 1. ad Quint. fratrem II. 2, 3, 4.

3) Dio XXXIX. 27. Epitom. Liv. Lib. CV.

4) De his legibus vid. Orell in indice Legum.

5) Dialog. de Orator. cap. 34.

6) Senec. Controv. Lib. III. 19. Ascon. in argum. Orat. pro Scauro.

comitia, interregnum, majestatem, totam denique rem publicam flocci non facere" 1). Constat autem Catonem accusatum esse ex legibus Fufia et Junia Licinia ex iis, quae Cicero ad Atticum scripsit 2): „Nunc ad ea, quae quaeris de C. Catone: lege Junia et Licinia scis absolutum; Fufia ego tibi nuntio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus." Perspicuum igitur est Catonis nomen a compluribus accusatoribus esse delatum sed quod eorum nomina nusquam apparent inde colligere possumus Pollionem principem accusatorum fuisse. Quod profecto non fuisset, si ab anno 56 usque ad annum 54 non Romae sed cum Caesare in Gallia vitam egisset. Hisce jam, ut confido, probatis, pro certo affirmare vix dubito Pollionem Caesari non cognitum fuisse ante ultimam partem anni 54, sed eo demum anno in ejus familiaritatem esse acceptum, quippe qui invitis Caesare et Pompejo et Crasso Catonem accusavit, sed postea gavisus est eum esse absolutum.

Superest quaestio, utrum tunc in Galliam profectus sit an Romae remanserit, de qua nihil certi affirmari potest. Sed si reputemus Caesari multo magis opus fuisse oratoribus Romae quam militibus in exercitu, verisimile est Pollionem in urbe remansisse et una cum Curione, Cassio et aliis se Ravennam ad Caesarem contulisse. Sin autem bello Gallico non interfuit nulla est causa cur eum de hoc bello librum conscripsisse putaremus, praesertim quum de illo libro nulla omnino mentio usquam fiat, sed omnia quae a posterioris

1) Cic. ad Att. IV. 15. 4.

2) Cic. ad Att. IV. 16. 5.

temporis scriptoribus ex libris Asinii Pollionii proferuntur, ad bella civilia pertineant. Minime obstat versiculum Horatii Carm. Lib. II. 1:

> Motum ex Metello consule civicum
> Bellique causas et vitia et modos
> Ludumque fortunae, gravisque
> Principum amicitias et arma
> Nondum expiatis tincta cruoribus,
> Periculosae plenum opus aleae,
> Tractas et incedis per ignes
> Suppositos cineri doloso.

Fuerunt enim tres omnino illo tempore Metelli consules: Q. Caecilius Metellus Celer anno 60 a. Chr. n., Q. Caecilius Metellus Nepos anno 57 a. Chr. n. et Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, qui posteriore parte anni 52. a. Chr. n. Pompeji collega in consulatu fuit. Ex Horatii verbis apparet Pollionem scripsisse de bello civili de ejusque causis; peropportune igitur initium facere potuit a tertio consulatu Pompeji, a quo initium fuit discordiae inter Caesarem et Pompejum. Sed ut videtur ne hoc quidem tempus totum in historiis descripsit, si verum est quod Wynne 1) suspicatur Appianum in historia bellorum civilium Asinium Pollionem esse secutum. Egregie Appianus agit de bello Pharsalico et de Curionis expeditione in Africam, ut facile concedamus eum in hisce bellis describendis Pollionis historiis esse usum, sed tam stulte et inepte narrat ea, quae in Hispania in bello

1) „De fide et auctoritate Appiani," Groningae 1855 pag. 31.

adversum Afranium et Petrejum facta sunt, ut nullo modo mihi persuadere possim eum haec ex Pollione hausisse.

Cujus rei unum tantum exemplum proferam. Narrat Appianus 1) pacem inter Caesarem et Afranium et Petrejum esse compositam et ita de ea re dicit: *καὶ συνέβησαν, οἱ μὲν ἐκστῆναι τῆς Ἰβηρίας τῷ Καίσαρι, ὁ δὲ Καῖσαρ αὐτοὺς ἀπαθεῖς ἐπὶ τὸν Οὐάρον ποταμὸν διαγαγεῖν, καὶ ἀπὸ τοῦδε χωροῦντας ἐς Πομπήιον ἐᾶν.* Plura Caesar concedere non potuisset, si ab iis victus esset, sed re vera pacis conditiones ab his multo diversae erant earumque summa 2) haec erat, ut duces provinciis excederent exercitumque dimitterent. Non credo Pollionem tam absurda narrare potuisse, sed quia Appianus eum in ceteris adhibuit neque credibile est eum, si Pollio etiam de hoc bello scripsit, talem auctorem, quo saepe usus erat, neglexisse, ex his ut opinor, apparet Pollionem non scripsisse de bello adversum Afranium et Petrejum, cui ipse non affuerat et hac re affirmatur etiam, quod supra dixi eum non scripsisse librum de bello Gallico.

Hisce causis adductus, quam maxime fieri potest sententiam probo V. Cl. Cornelissen, qui putat judicium Pollionis de Caesaris fide praecipue esse referendum ad Commentarios de bello civili 3), quamquam etiam de his paulo iniquius mihi videtur. Sed hanc rem missam facio; nunc id ago, ut demonstrem commentarios de bello Gallico summa fide dignos esse, quod infra singulis locis ostendere conabor, hoc

---

1) App. de B. C. II. 43.
2) Caes. de B. C. I. 85.
3) Cornelissen pag. 6.

loco autem de totius operis consilio et auctoritate dicam, ut appareat Caesari nullam fuisse causam, cur in iis veritatem celaret. Scripti sunt anno 51 a. Chr. n. 1) eo potissimum consilio, ut Romani scirent quae per octo continuos annos in Gallia gesserat et editi eodem anno prius quam aperta discordia inter Caesarem et Pompejum orta erat, quod satis demonstrant verba ipsius Caesaris 2) de rebus urbanis initio anni 52. „Quum jam ille (Caesar) urbanas res virtute Cnei Pompei commodiorem in statum pervenisse intelligeret, in Transalpinam Galliam profectus est," quod profecto nullo modo dicere voluisset, si jam quum scripsit commentarios intellegisset necesse sibi esse futurum bellum gerere cum Pompejo. Quod Mommsen dicit commentarios a Caesare esse scriptos eo consilio, ut rationes redderet rerum a se gestarum, mihi quidem non verum esse videtur. In nullo enim bello praeter in bellis cum Helvetiis et cum Ariovisto ullam causam belli affert praeter illam: Gallos non parere imperio populi Romano. Cujus rei luculenta exempla proferam. In initio libri secundi 3) dicit Belgas conjurasse contra populum Romanum. „Conjurandi has esse causas: primum quod vererentur, ne omni pacata Gallia ad eos exercitus noster adduceretur; deinde, quod a nonnullis Gallis sollicitarentur, partim qui, ut Germanos diutius in Gallia versari noluerant, ita populi Romani exercitum hiemare atque inveterascere in Gallia moleste ferebant, partim qui mobilitate et levitate animi novis imperiis studebant." Haec omnia, ultimo excepto,

1) Mommsen R. G. III. pag. 616 sqq.
2) De B. G. VII. 6.
3) De B. G. II. 1.

quod est argumentum a Caesare sumptum ex Gallorum animi levitate, unicuique, qui non est Caesar aut civis Romanus, justissima videntur, sed nihilominus Caesar non dubitat, nulla alia causa addita, proficisci in Belgas et eos in potestatem populi Romani redigere. Alterum exemplum invenimus in eodem libro cap. 34: „Eodem tempore a P. Crasso, quem cum legione una miserat ad Venetos, Venellos, Osismos, Curiosolitas, Esubios, Aulercos, Redones, quae sunt maritumae civitates Oceanumque attingunt, certior factus est omnes eas civitates in dicionem potestatemque populi Romani esse redactas." Ne verbum quidem addit. Et profecto minime necesse erat tales causas fingere, quum omnes Romani, cives sui, hoc sibi persuasum habebant oportere omnes barbaros in potestatem populi Romani redigi. Quum igitur nulla sit causa, cur in causis bellorum enarrandis, falsa nobis traderet, etiam minus credibile est eum hoc fecisse in rebus describendis, quae bello gestae sunt, ut famam suam et gloriam augeret. Non enim tam tenuis neque infirmi animi erat, ut non intelligeret se, tantis rebus gestis atque tot et tam firmis populis devictis, incolumi gloria et virtute bellica, libere posse confiteri, se aliquando minus prospere rem gessisse. Aliter sese res habet in commentariis de bello civili. In his quam maxime fieri potest sua interfuit pacis amantissimum videri et tandem invitum, necessitate coactum et ab adversariis ultro lacessitum ad arma recurrisse, ut jus et salutem suam defenderet. Itaque in quaestione instituenda de Dionis fide eos seclusi, quamquam mihi satis constat etiam hic in narratione rerum, quae bello gestae sunt, Caesari majorem fidem esse habendam quam Dioni aut Appiano aut Plutarcho.

Scripti sunt post annum 46 a. Chr. n. 1), omnibus bellis peractis, et editi post Caesaris mortem. Teste enim Appiano 2) Antonius post mortem Caesaris sive jussu Calpurniae, sive suo arbitratu ejus commentarios in domum suam transtulit. Quod est argumento laudes, quibus Cicero Caesaris commentarios consequitur 3), solum pertinere ad commentarios de bello Gallico. De quibus ita praedicat: „Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. Valde quidem probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta; sed dum voluit alios habere parata unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit: nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur." Unde colligimus Brutum vivo adhuc Caesare esse perscriptum i. e. ante commentarios de bello civili editos. Non absonum videtur hoc Ciceronis judicium multos absterruisse ab historia Gallici belli conscribenda, ita ut Livio et ceteris rerum Romanarum scriptoribus necesse erat Caesaris commentariis uti tamquam praecipuo et paene unico fonte. Certe, ut supra vidimus, non licebat Asinium Pollionem adhibere, quamquam recentiores plerique omnes id suspicantur.

Jam sat rationum mihi reddidisse videor, cur in judicio ferendo de Dionis fide et auctoritate potissimum bellum Gallicum

---

1) Nipperdey Quaest. Caes. p. 5 sqq.
2) App. de B. C. II. 125. Cfr. D. C. XLIV. 53.
3) Brutus 262.

elegerim, quo quasi fundamento totius quaestionis utar. Aggrediar ad propositum et instituam in sequenti capite perpetuam comparationem inter Dionem et Caesaris commentarios, ut inde, si ullo modo fieri potest, concludam, quo modo fontibus suis usus sit et quae auctoritas ei jure ac merito tribuatur. Quodsi de parte historiae Dionis satis constat, jam conjectura consequi poterimus, qua sit fide in ceteris.

CAPUT SECUNDUM.

Initium comparationis faciam a capite trigesimo primo libri trigesimi octavi a bello, quod Caesar cum Helvetiis gessit et deinde ordine totum bellum Gallicum percurram brevitemque exponam in quibus rebus dissentiant, in quibusque consentiant. Dio cap. 31 dicit Helvetios propter augustos fines Orgetorige duce, ex agris suis excessisse, quum Caesar praeter illam longe alias causas affert et tradit Orgetorigem jam esse mortuum, quum Helvetii in Galliam proficiscerentur 1). Praeterea Dio memoriae prodidit Caesarem legatis Helvetiorum, qui petierunt ut liceret iter per provinciam facere, aliquam spem dedisse, qua de re nihil invenimus apud Caesarem 2), qui dicit se legatis respondisse: „diem se ad deliberandum sumpturum: si quid vellent ad Id. April. reverterentur." Cetera in hoc capite cum Caesare consentiunt. Nullum mihi esse

1) De B. G. I. 4.
2) De B. G. I. 7.

dubium videtur, quin in hisce rebus Caesar veritatem nobis narret. Quod demonstrare conabor. Sed video doctissimum virum Franz Eyssenhardt 1) contrariam sententiam protulisse cum de fontibus Dionis in hac parte operis tum de auctoritate, quae ei sit tribuenda. Cujus sententiam afferam et si fieri potest refellam. Ita dicit:

„Dasz Dion vortreffliche Quellen benutzte, zeigt besonders die Stelle XL. 9, wo es bei Gelegenheit einer dem Legaten Cicero zukommenden Nachricht heiszt: *εἰώθει δὲ καὶ ἄλλως, ὁπότε τι δι' ἀπορρήτων τινὶ ἐπέστελλε, τὸ τέταρτον ἀεὶ στοιχεῖον ἀντὶ τοῦ καθήκοντος κατεγγράφειν, ὅπως ἂν ἄγνωστα τοῖς πολλοῖς ᾖ τὰ γραφόμενα.* Hiervon sagt Caesar weder bei Gelegenheit derselben Botschaft V. 48 noch irgendwo sonst etwas. Es liegt auf der Hand, dasz wer diese Notiz dem Dion geliefert hatte, sehr genau mit Caesars Thun und Treiben bekannt sein muste, und gewis benutzte Dion eine Quelle, die so genaue Notizen enthielt ebenso haüfig als sie werthfol war."

Fugit virum doctissimum hoc idem traditum esse a Suetonio 2) et quum demonstrari possit Suetonium multis locis a Dione adhibitum esse non dubito, quin etiam hoc loco illius vitis usus sit. Igitur non verum est, quod Eyssenhardt probare conatur: hunc locum ostendere, Dionem in conscribenda Gallici belli historia praeter Caesarem etiam alio scriptore esse usum. Suetonio usus est, concedo, sed Suetonius non scripsit de bello Gallico. Haec omnia non pertinent ad

---

1) Franz Eyssenhardt. Zu der Frage über die Glaubwürdigkeit von Caesars commentarien. Fleckeisens Jahrbücher. 85.

2) Sueton. Caes. 56.

eum locum Dionis in quo nunc versamur sed ideo protuli, ut ostenderem Eyssenhart sibi in judicio de auctoritate Dionis non constare. Nam si verum est Dionem tam egregios fontes adhibuisse necesse est, ut summa auctoritas ei tribuatur. Quod Eyssenhardt non fecit. Ita enim pergit: „Damit soll natürlich nicht geleugnet werden, dasz Dion oft genug auch in Diesem Teile seiner Geschichte Unrichtigkeiten begangen oder den Werth guter Notizen durch ein seichtes Räsonnement geschwächt hat. Was das erstere ambetrifft, so ist es z. B. geradezu falsch, dasz Orgetorix die Helvetier beim Auszüge führte vgl. Caesar de B. G. I. 4." Qua de causa hic Caesarem veritatem tradere opinetur, dum paulo ante contendit solum Dionem aperiisse veram causam, qua Helvetii permoti ex finibus suis excessissent, equidem non video. Nisi fortasse dicit hic Caesaris non interesse utrum vera an falsa dicat, illic autem pro fama sua et existimatione maximi esse momenti utrum Romani arbitrarentur Helvetios in Galliam esse profectos propter augustos fines an aliis de causis. Quod perspicue falsum est. Qua de causa enim profecti sint nihil adtinebat, sunt profecti et Caesarem rogarunt, ut liceret iter per provinciam facere. Quod si concedere noluit bellum gerere necesse erat et majestas populi Romani non patiebatur, ut id hominibus feris et barbaris concederetur. Haec omnia quam maxime confirmantur comparatione instituta inter Caesarem et Dionem. Caesar 1) enim omnino tres causas affert, quibus Helvetii permoti ex finibus suis excessissent 1e „perfacile esse, cum virtute omnibus

1) De B. G. I. 2.

praestarent, totius Galliae imperio potiri," 2e Id hoc facilius iis persuasit (Orgetorix), quod undique loci natura Helvetii continentur..... His rebus fiebat, ut et minus late vagarentur et minus facile finitimis bellum inferre possent; qua ex parte homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur, 3e Pro multitudine autem hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur." Facile unusquisque mihi concedet hisce in causis comprehensam esse causam, quam Dio affert: *πλήθει τε ἀκμάζοντες καὶ χώραν οὐκ αὐτάρκη τῇ πολυανθρωπίᾳ σφῶν ἔχοντες*. Sed longius progredior et contendo hanc causam Dionis eandem esse, quam Caesar tertio loco affert. Quo igitur argumento Eyssenhardt utitur, ut demonstret Dionem alios adhibuisse scriptores, id mihi est argumento, quo ostendam Dionem Caesare ipso esse usum. Omisit alias causas, quod non magni esse momenti videbantur, quia argumentum operis non patiebatur omnia commemorare, quae in fontibus suis invenit. Quod Eyssenhardt dicit Caesarem dixisse Helvetios regni cupiditate esse adductos, ut finibus suis excederent minime verum est. Caesar dicit: Orgetorigem regni cupiditate adductum civitati persuasisse, ut de finibus suis exirent. Quod absque dubio verum est si Caesari credimus dicenti Orgetorigem illo tempore longe nobilissimum et ditissimum Helvetiorum fuisse. Aut forte opinatur Eyssenhardt Helvetiis ab aliquo homine ignobili persuasum esse exire de finibus aut verisimile ei videtur Orgetorigem ipsum, virum ditissimum, propter fines angustos demigrare voluisse?

Venimus jam ad alteram rem, in qua Caesar et Dio dissentiunt, de qua Eyssenhardt ita dicit: „Auch das wird man

für richtig halten, dasz Caesar als er den Helvetier einen Termin für die Einholung seiner Antwort in Betreff ihres Durchmarsches gab 1) ihnen dabei wie Dio sagt: *καί τι καὶ ἐλπίδος ὡς καὶ ἐπιτρέψων σφίσι τὴν δίοδον ὑπετείνατο.* Denn sonst wäre es unbegreiflich wie die Helvetier darauf eingehen konnten den Termin abzuwarten, den zu stellen eigentlich gar kein anderer Grund als Zeit zu gewinnen oblag." Hoc idem Dio opinatus est et ea de causa addidit verba quibus Eyssenhardt utitur, ut demonstret Dionem tam egregiis fontibus esse usum. Caesar ipse dicit 1): „Tamen, ut spatium intercedere posset, dum milites quos imperaverat convenirent, legatis respondet: diem se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent ad Idus April. reverterentur." Consilium igitur non celat, sed non diserte addit, utrum aliquid spei dederit Helvetiis an non. Quae res non magni momenti esse videtur. Fortasse vera est, sed etiam fieri potest, ut aliae causae intercederent, quibus de causis Helvetii hoc responso contenti fuerunt. Est additamentum ejusmodi, qualia apud Dionem sexcenta invenimus. Statim in eodem capite exemplum proferam. Initio capitis 31 Dio dicit: *Καῖσαρ δὲ εὗρε μὲν οὐδὲν ἐν τῇ Γαλατίᾳ πολέμιον, ... οὐ μέντοι καὶ ἐν εἰρήνῃ διεγένετο, ἀλλὰ καὶ αὐτομάτου τὸ πρῶτον πολέμου τινὸς αὐτῷ συμβάντος ἕτερος συνηνέχθη, ὥστ' αὐτὸν, ὥσπερ ἐς τὰ μάλιστα ἐπεθύμει, πάντα καὶ πολεμῆσαι καὶ κατορθῶσαι.*" Non facile inveniet aliquis, unde Dio hoc aut alia hujusmodi sumpserit, sed solet talia addere ut rationes rerum gestarum reddat, in quibus nonnumquam, quemadmodum hic, veritatem tradit,

---

1) De B. G. I. 7.

sed multo saepius tam absurda et stulta nobis narrat, ut risum tenere non possimus. Venio jam ad caput 32, quod universe sat bene cum Caesare 1) consentit, sed multis rebus parvi momenti ostenditur, quam negligenter Dio hoc suo fonte usus sit. Quod ut melius appareat ipsa Dionis verba afferam: *οἱ οὖν βάρβαροι χρόνον μέν τινα ἐπέσχον, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν κατὰ τὸ συγκείμενον, ἄραντες τὸ μὲν πρῶτον διὰ τῶν 'Αλλοβρίγων ἐπορεύοντο, ᾗπερ ὥρμηντο.* Primum verba *ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν κατὰ τὸ συγκείμενον* non vera sunt, Caesare enim auctore 2) Helvetiis responsum est „se more et exemplo populi Romani non posse iter ulli per provinciam dare," quod profecto multo verisimilius est, quam id quod Dio tradit, siquidem Helvetii revera ad Id. April. reversi sunt. Praeterea Caesar „a lacu Lemanno usque ad montem Juram murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perduxit." Nullo modo igitur fieri potuit, ut Helvetii *τὸ μὲν πρῶτον διὰ τῶν 'Αλλοβρίγων ἐπορεύοντο,* sed fortasse Dio hoc sumpsit ex cap. 11, ubi Caesar dicit: Item Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant fuga se ad Caesarem recipiunt," quod tunc primum factum est et fieri potuit, quum Helvetii per agros Sequanorum iter facere coepissent. Dio ita pergit: *ἔπειτ' ἐντυχόντες τοῖς κωλύμασι ἐς Σηκουάνους ἀπετράποντο καὶ διά τε τούτων καὶ διὰ τῶν Αἰδούων ἐθελοντί σφισι τὴν δίοδον ἐφ' ᾧ μηδὲν ἀδικηθῶσι, παρεχόντων, διιόντες οὐκ ἐνέμειναν τοῖς ὡμολογημένοις, ἀλλὰ τὴν χώραν αὐτῶν ἐλεηλάτουν.*

---

1) De B. G. I. 8—12.
2) De B. G. I. 8.

Ex Caesaris commentariis 1) apparet Helvetios non a Sequanis et Aeduis sed a solis Sequanis impetrasse „ut per fines suos Helvetios ire patiantur," eosque non agros Sequanorum et Aeduorum sed tantum agros Aeduorum populatos esse in capite 11 invenimus. Ita quoque non Aedui et Sequani, ut Dio in sequentibus tradit, sed Aedui cum clientibus suis legatos ad Caesarem mittunt auxilium rogatum 2) Qui omnes errores orti sunt neglegentia Dionis, qui meminerat se legisse apud Caesarem de Sequanis et Aeduis et ea memoria confisus in historias rettulit. Quae sequuntur accuratius consentiunt sed iterum sunt argumento Dionem historiam ex memoria conscripsisse, quod ea quae Caesar tradit alieno et minus apto loco inseruit. Primum dicit: *καὶ ἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια οἷς ἔπραξαν*, quod sine dubio referendum est ad Caes. d. B. G. I. 16, ubi Caesar, Tigurinis jam fusis Helvetiisque per dies quindecim 3) per agros Aeduorum progressis, queritur „Aeduos diem. ex die ducere, conferri frumentum, comportari, adesse dicere." Deinde contendit Caesarem metuisse, ne Helvetii Tolosam se converterent, quod idem Caesar 2) his verbis descripsit: „Caesari renuntiatur Helvetiis esse in animo per agrum Sequanorum et Aeduorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt. Id si fieret, intellegebat magno cum periculo provinciae futurum, ut homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus maximeque frumen-

1) De B. G. I. 9.
2) De B. G. I. 11.
3) De B. G. I. 15.
4) De B. G. I. 10.

tariis finitimos haberet." Praeterea Dio de suo addidit maluisse Caesarem una cum Aeduis quam solum bellum cum Helvetiis gerere. Quod facile credo. Venio nunc ad pugnam apud flumen Ararim, qua in re Dio plane cum Caesare 1) consentit. Caesare auctore unus pagus Helvetiorum, qui appellabatur Tigurinus, tribus ceteris jam flumen traductis, citra Ararim remansit, eumque pagum ipse est adortus et magnam partem eorum concidit. Quae omnia Dio cap. 33. 4 eodem modo refert praeter nomen pagi, quod omisit. Appianus 2) et Plutarchus 3) rem longe aliter narrant. Caesarem bellum gessisse cum duobus populis Helvetiis et Tigurinis, quorum alterum ipse, alterum Labienus vicit. Igitur non probo, quod Peter dicit in libro „de fontibus Plutarchi" pag. 120, quum agit de Caesaris commentariis et de auctoritate, quae iis ab historicis Graecis et Romanis, qui proximis seculis vixerunt, tributa sit. Negat eos illis commentariis usos esse et ita pergit: „Vielmehr haben wir in den übrigen erhaltenen Schriftstellern eine Tradition, die der Caesars bestimmt gegenüber steht. Jene theilen sich dann wieder in zwei Hauptlager: zu dem einen gehört Cassius Dio, zu dem andern Plutarch, Appian, Orosius 4), Florus und hin und wieder Sueton."

---

1) De B. G. I. 12.

2) App. ἐκ τῆς Κελτικῆς 1. 3 et 15.

3) Plut. Caes. 18.

4) Quod ad Orosium attinet, verum esse potest in bello civili, in bello Gallico non est. Ipse enim Orosius in initio belli Gallici (Lib. VI, cap. VII) dicit: „Hanc historiam (belli Gallici) Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cujus nos competentes portiunculas decerpsimus." Pervulgato autem errore (ut satis notum est) arbitrabatur commentarios de bello Gallico non a Caesare, sed a Suetonio esse scriptos. Caesarem ipsum igitur in historia sua adhibuit.

Verum videt, quod dixit Dionem esse sejungendum a Plutarcho et Appiano sed erravit quod ad Caesarem attinet. Loco enim, quem supra laudavi, et multis aliis locis demonstratur Dionem consentire cum Caesare, differre a Plutarcho et Appiano. Quod jam statim affirmatur iis, quae sequuntur apud Dionem a fine capitis 32 usque ad cap. 33. 3, quae tam accurate consentiunt cum iis, quae Caesar scripsit cap. 13—15 et 21—24, ut non ovum ovo similius esse possit, si modo hoc unum animadvertamus Dionem breviter scripsisse de iisdem, de quibus Caesar plenius et longius egerat. Dio tradit Helvetios repentino ejus adventu tantopere esse perterritos, ut legatos de pacere mitterent 1), sed iis cum Caesare non convenisse, quod se indignum existimarent obsides dare 2). Deinde longius progressi equitatum Caesaris, qui pedites longius praecurrerat et praeter eorum novissimum agmen provectus erat suo equitatu vicerunt 3). Qua victoria sublati 4) et Caesarem fugere putantes, quod inopia frumenti ad urbem ab itinere remotam se contulerat, eum persecuti sunt 5). Quae omnia, ut in notis indicavi, etiam apud Caesarem inveniuntur. Unam rem excipio, quam Dio more solito addidit, quod Caesar ei visus est non sat rationum reddere rerum a se gestarum. Narrat Helvetios Caesarem secutos esse quum propter inopiam frumenti iter averterat et se Bibracte oppidum Aeduorum contulerat. ἰδὼν οὖν τοῦτο ὁ

1) Vid. Caes. de B. G. I. 13. 2.
2) Caes. de B. G. I. 14. 7.
3) Caes. de B. G. I. 15. 2.
4) De B. G. I. 15. 3.
5) De B. G. I. 23. 3.

Καῖσαρ, καὶ φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος, τῷ μὲν πεζῷ πρὸς μετέωρόν τι ὥρμησε, τοὺς δὲ ἱππέας προεβάλετο προκινδυνεῦσαι σφισιν sunt verba Dionus, dum Caesar 1) de eadem re ita dicit: „Postquam id animadvertit, copias suas Caesar in proximum collem subducit equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit." Prorsus idem est praeter verba καὶ φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος, quae Dio addidit, quia apud semet ipsum ita cogitavit: Quare tandem Caesar noluit in planitie pugnam committere? Dicam: φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος. Quae sequuntur de proelio inter Caesarem et Helvetios non tam accurate consentiunt. Helvetiorum agmine perfracto, Helvetiisque in fugam conjectis, Romanos, qui eos persecuti sunt, circumvenerunt alii, qui non pugnaverant (ὑπό τε γὰρ τοῦ πλήθους καὶ ὑπὸ τῆς σπουδῆς οὐ πάντες ἅμα παρεγένοντο). Qui alii auctore Caesare 2) fuerunt Boii et Tulingi, „qui hominum milibus circiter XV agmen hostium claudebant et novissimis praesidio erant. Romanos latere aperto aggressi sunt, dum Helvetii id conspicati rursus instare et proelium redintegrare coeperunt. Romani conversa signa bipartito intulerunt: prima ac secunda acies, ut victis ac submotis resisterent, tertia, ut venientes sustineret." Igitur pedites modo et contra Helvetios et contra Bojos et Tulingos pugnabant, dum Dio his verbis hanc partem proelii descripsit: ὁ γὰρ Καῖσαρ τοῖς ἱππεῦσι τοὺς φεύγοντας προστάξας αὐτὸς τῷ ὁπλιτικῷ πρὸς ἐκείνους ἐτράπετο καὶ κρατήσας πρός τε τὰς ἁμάξας ἀμφοτέροις

---

1) De B. G. I. 24.

2) De B. G. I. 25, 26.

σφίσι συγκαταφυγοῦσιν ἐφέσπετο. Primum non erant fugientes, nam „Helvetii id conspicati rursus instare coeperunt" et „toto hoc proelio nemo aversum hostem videre potuit" et de equitatu Caesar in toto hoc proelio ne verbum quidem dicit. Nulla est causa cur Caesar in hoc nobilissimo proelio veritatem celaret, et neglegentiae Dionis igitur imputanda sunt, quae secus ac Caesar refert. Quod idem non affirmare audeo de ultima parte capitis 33: οἱ δὲ οὐκ ἐθελήσαντες τὰ ὅπλα παραδοῦναι πρὸς τὸν Ῥῆνον, ὡς καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν σφῶν γῆν ἐπανελθεῖν δυνάμενοι, ὥρμησαν etc. ubi verba ὡς καὶ etc., si quidem significant „quasi in antiquam suam patriam redire poterant," addita sunt eodem modo, quo jam saepius vidimus Dionem talia addere solere, ut causam fugae indicaret. Caesar 1) de hac causa nihil affirmat sed dubitat utrum sint timore perterriti an spe salutis inducti.

Venimus jam ad bellum cum Ariovisto rege Germanorum, cujus causas Dio cap. 34 affert, in quibus paucis exceptis mirum in modum cum Caesare consentit. Tradit enim Aeduos et Sequanos auxilium a Caesare petisse, quod si Caesarem 2) audiamus factum est a consilio totius Galliae. Dio addit eos facile Caesari persuasisse, ut auxilium iis ferret, quod idem a Caesare dicitur 3): „Et secundum ea (quae in consilio dicta erant) multae res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam et suscipiendam putaret, imprimis quod Aeduos.... in servitute atque in dicione videbat Germanorum teneri....

1) De B. G. I. 27.
2) De B. G. I. 31 et 32.
3) Cap. 33.

Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire et in Galliam magnam eorum multitudinem venire populo Romano periculosum videbat." Quae causae profecto gravissimae et maximi momenti erant. Quod Dioni non ita videtur. Bellandi enim cupiditati imputat, quae soli necessitati imputanda sunt, namque si provinciam Romanam tueri volebat prorsus necesse erat Germanis resistere, qui crescente semper multitudine Rhenum transgrediebantur. Negari non potest bellum Caesari gratum fuisse, sed ea de causa Dioni non licet causas belli, quas Caesar graves et justas habebat, praetextus vocare. Sed talia de suo solet addere et igitur missa facio. Caesar legationem ad Ariovistum misit 1) colloquium petitum, cui legationi Ariovistus et apud Caesarem et apud Dionem isdem fere verbis respondit: „si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille se velit, illum ad se venire oportere." Hoc responso dato Caesar iterum legatos misit, quibus Dione auctore haec mandavit ut postularent: 1^0 ut obsides Aeduis reliquisque Galliae civitatibus redderet, 2^0 ut non amplius eorum agros ingrederetur et 3^0 ut non plura auxilia domo adduceret, quae omnia apud Caesarem 2) paene ad verbum recurrunt. Ultima parte capitis 34 tradit Ariovistum endociter respondisse et Caesarem non iterum legatis missis occupasse Vesontionem urbem Sequanorum, et in sequenti capite seditionem militum, qui ingenti magnitudine et incredibili virtute Germanorum a mercatoribus Gallis nuntiatis perterriti imperatori non parebant. Haec paulo

---

1) D. C. XXXVIII. 34 et Caesar de B. G. I. 34.

2) De B. G. I. 35.

longius et accuratius apud Caesarem 1) inveniuntur, qui hoc solum aliter tradit, seditionem non esse profectam a militibus sed a tribunis militum, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti erant et non magnum in re militari usum habebant. Quod Dio omisit. Germani autem, quos dicit jam Rhenum esse trajectos, sunt Harudes 2) et quos dicit ad ripas fluminis consedisse, ut quam primum trajicerent sunt centum pagi Sueborum 3). Pauca ut in tali re solet facere addit de terrore militum et eorum animi perturbatione. Omnia tam apte consentiunt, ut nullum dubium reliquum esse videatur, quin in historia Gallici belli componenda Caesaris commentariis Dio usus sit. Sed ex iis, quae statim sequuntur, petam argumentum, quod etiam magis quam hic consensus, hoc nobis probat.

Cap. 36—46 sequitur apud Dionem oratio Caesaris, quam eum apud tribunos militum et centuriones habuisse dicit, ut iis animum adderet et seditionem sedaret. Si quis stultam et ineptam orationem legere cupiat, hanc inspiciat orationem. Plane etiam differt ab ea, quam Caesar ipse 4) se habuisse testatur. Itaque nihil omnino est dubium, quin Dio hanc orationem finxerit et historiae inseruerit, ut eam quam maxime fieri potuit ornaret et calamistris inureret. Sed tamen una res inest, quam Caesar si ejus commentariis credimus re vera dixisse videtur. Est ultima pars orationis,

---

1) De B. G. I, 37, 28.
2) Caes. de B. G. I. 31.
3) Caes. de B. G. I. 37.
4) De B. G. I. 40.

in qua ita dicit: „ Si praeterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique eam praetoriam cohortem futuram." Sed videas quo modo Dio 1) hoc idem dicat et Dionem manifeste comprehensum teneas: *ὥς εἴ γε καὶ ὑμῶν τινες ἄλλως Φρονοῦσιν, ἀλλ' ἔγωγε καὶ ὣς πολεμήσω, οὐδὲ ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν, ἣν ἐτάχθην ὑπὸ τῆς πάτριδος. καί μοι τὸ δέκατον στρατόπεδον ἀρκέσει καὶ γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι κἂν διὰ πυρὸς δέῃ καὶ γυμνοὶ χωρήσουσι προθύμως.* Quodsi etiam in oratione plane ficta argumentum sumpserit ex Caesaris commentariis jam pro certo ponere possumus eum his commentariis in historia conscribenda esse usum. Sed quamquam hoc satis constat infitiandum non est eum etiam multis locis a Caesare differre, cujus rei mox exemplum inveniemus in capitibus proximis, in quibus agit de proelio inter Ariovistum et Caesarem.

In cap. 47 nobis verba dat pro rebus; nullum omnino factum commemorat praeter haec: seditionem esse sedatam, Caesarem esse profectum in Germanos, et Ariovistum petisse colloquium, sed nihil inter eum et Caesarem convenisse, quae etiam invenimus apud Caesarem. 2) Reliqua omnia sunt prorsus nullius pretii. Cap. 48 partim cum Caesare consentit, partim dissentit. Matres familiae Germanorum vaticinationibus eos proelium committere vetabant 3), qua de causa Ariovistus, quamquam Caesar quotidie pugnandi potestatem fecit, copias castris non eduxit, sed equestri proelio quotidie con-

---

1) Dio XXXVIII. 46.
2) De B. G. I. 41—47.
3) Dio cap. 48. Caes. de B. G. I. 50.

tendit 1). Quibus in proeliis Dio narrat Romanos esse victos, Caesar eventum non commemorat. Deinde si Dionem audiamus Ariovistus locum editum occupavit, dum Caesar 2) tradit eum millibus passuum sex a Caesaris castris sub monte consedisse, ut Romanos commeatu prohiberet.

Tamen cum Dione consentit, quum commemorat locum editum occupatum esse a Romanis 3), ne amplius commeatu prohiberentur. Caesar proximo die de more copias e castris eduxit et pugnandi potestatem fecit, sed Ariovistus tum demum copias eduxit et locum editum aggressus est, quum Caesar jam in castra reversus esset 4). Dione auctore propemodum vallum Romanorum cepit, sed Caesar testatur Ariovistum solis occasu multis et illatis et acceptis vulneribus copias in castra reduxisse. In ultima tandem parte cap. 48 invenimus Ariovistum hac victoria elatum spretis vaticinationibes postridie copias eduxisse et proelium commisisse; Caesar autem 5) eum hoc fecisse dicit necessitate coactum, quod Romani usque ad castra Germanorum accederunt. Vidimus in hoc capite universe sat bene inter Caesarem et Dionem convenire, sed in singulis praesertim in eventu proeliorum commemorando quaedam esse diversa. Cujus rei in sequentibus etiam plura exempla inveniemus. Ubicumque enim Caesar eventum proelii non commemorat, aut dicit aequo

1) D. C. 48. Caes. 48.
2) De B. G. I. 48.
3) Caes. de B. G. I. 49.
4) D. C. cap. 48. de B. G. I. 50.
5) De B. G. I. 51.

Marte esse pugnatum aut confitetur se paucos e suis amisisse hisce omnibus locis Dio propemodum semper et ubique contendit, Romanos esse victos aut permultos ex iis caesos esse. Quia hoc loco Caesar non dicit se vicisse equitatum Germanorum Dioni constat Caesaris equitatum esse victum et quia Caesar narrat Ariovistum multis et illatis et acceptis vulneribus in castra esse reversum necesse esse videtur eum reportasse victoriam, quamquam ne Dio quidem aliquid amplius affirmare potest, quam hoc: eum primo impetu propemodum vallum Romanorum cepisse. Tamen ex sequentibus satis apparet de Ariovisti victoria cogitasse Dionem, quippe qui dicit eum victoria elatum sprevisse vaticinationes et commisisse proelium. Hujus rei causam infra videbimus, nunc modo hoc ago, ut ostendam ejusmodi locos non demonstrare Dionem alium adhibuisse scriptorem, sed multo magis eum ipsos commentarios esse secutum.

Sequitur apud Dionem 1) magnum proelium inter Ariovistum et Caesarem, sed in hoc proelio describendo tam multos errores commisit et sic naturae et ingenio indulsit, ut haec capita vix comparari possint cum iis quae Caesar de eodem proelio 2) scripsit. Jam statim in initio capitis 49 dicit Romanos celeriter impetu facto non passos esse, ut Germani ordines instruerent, sed antevertisse jaculationem eorum et tam celeriter procurrisse, ut Germani neque contis neque gladiis longioribus uti possent, quum Caesar 3) con-

1) Cap. 49 et 50.
2) De B. G. I. 52 et 53.
3) De B. G. I. 52.

trario tradit Romanos tam acriter impetum fecisse in Germanos eosque tam celeriter procurrisse in Romanos, „ut (Romanis) spatium pila in hostes conjiciendi non daretur." Reliqua fere omnia plane ficta esse videntur; profecto sunt ejusmodi, ut nullius sint momenti et sine dubio profecta sint a scriptore, qui quemadmodum Dio delectatur inepta et stulta pompa orationis. Vidimus supra 1) Dioni non satis esse Caesarem 2) militibus dixisse se, si nemo praeterea sequatur, cum sola decima legione esse iturum, sed hoc ei non sat pulchrum et ornatum esse visum. Igitur de suo addidit Caesarem praeterea dixisse: „namque sat scio illam legionem per ignem etiam, si necesse esset, nudam esse ituram." Eodem modo in hoc capite egit. Pugnam acerrinam voluit describere sed hoc tam stulte fecit, ut risum moveat et ne sibi quidem constet. Cujus rei exemplum proferam. Dicit Romanos tam prope accessisse, ut multi Germanorum non modo gladiorum, sed etiam pugionum usu interclusi eorum loco manibus atque ore pugnarent, adversariosque, quos mole corporum longe excedebant, arreptos prosternerent, morderent, lacerarent. Quae omnia, quamquam vix credibilia tamen quia fieri possunt missa facio. Sed statim addit Romanos armatura atque arte adaequasse vim barbarorum. Romanis igitur armis uti licebat, sed Germanis ne tantum quidem spatii relinquebatur, ut pugionibus uti possent? Cetera ejusdem sunt generis. Germani victi sunt et tam

---

1) pag 25.
2) De B. G. I. 40.
3) D. C. Lib. 38. 46.

defessi ut quamquam volunt ne fugere quidem possint. Tamen phalangem faciunt et Romanis resistunt. Quodsi Caesarem audiamus initio pugnae phalangem fecerunt neque manibus et ore sed gladiis pugnarunt: „Rejectis pilis cominus gladiis pugnatum est. At Germani celeriter ex consuetudine sua phalange facta impetus gladiorum exceperunt." Quae Dio in sequenti capite de ultima parte pugnae narrat etiam minus cum Caesare consentiunt. De omnibus rebus, quas Dio narrat Caesar ne verbum quidem dicit. Sed sive haec ficta sunt, sive ex alio quodam scriptore descripta non sunt magni momenti, et minoris profecto ponderis quam pauca illa, quae Caerar de toto hoc proelio refert.

Transeo jam ad alterum Gallici belli annum ad librum Dionis historiae undequadragesimum. Dio narrat Belgas societatem inisse metuentes, ne Caesar subacta paene omni Gallia ipsos adoriretur 1), societati praefecisse regem Galbam 2) (si quidem licet ΑΔΡΑΝ in ΓΑΛΒΑΝ emendare) et Caesarem de his rebus certiorem esse factum a Remis, civitate Belgii, quae sola non cum reliquis Belgis consensit. Haec eodom modo apud Caesarem occurrunt, ultimo excepto. Caesar enim dicit 3) se Senonibus reliquisque Gallis, qui finitimi Belgis erant negotium dedisse, uti ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiorem faciant. Hi constanter omnes nuntaverunt manus cogi, exercitum in unum locum conduci. Remi tum demum societatem cum Caesare inierunt, quum cum exercitu ad fines Belgarum

1) Caec. de B. G. II. 1.
2) De B. G. II. 4.
3) De B. G. II. 2.

pervenisset 1). Caesar castra posuit apud flumen Axonam 2), sed a solo Dione traditur eum ibi milites exercuisse. Dio deinde ita pergit: „neque prius ausus est proelium committere quam illi contempto Caesare, quippe qui eos timebat, conati sunt pontem occupare eumque intercludere commeatibus, quos per eum pontem a sociis accipiebat. Caesar a transfugis hujus rei certior factus noctu levem armaturam equitesque hostibus immisit." Quod Dio narrat de timore plane fictum et fortasse sumptum est e verbis Caesaris 3): „Caesar primo et propter multitudinem hostium et propter eximiam opinionem virtutis proelio supersedere statuit." Deinde non a transfugis sed a Quinto Titurio legato, quem castello trans flumen Axonam praeposuerat 4) certior factus est 5) Belgas conari flumen trajicere. Neque noctu levem armaturam equitesque trajecit, sed interdiu 6). Sed paulo ante, quum Belgae oppidum Bibrax oppugnarent, de media nocte levem armaturam oppido auxilio misit 7) et hoc fortasse Dionem in errorem induxit. Quae secundo capite apud Dionem sequuntur, multos barbaros eo proelio esse caesos eosque sequenti nocte omnes domum esse profectos, praesertim quia Aedui in agros suos irrupisse nuntiabantur, omnia eodem ordine apud Caesarem 8) occurrunt.

1) De B. G. II. 3.
2) D. C. XXXIX. 1. Caes. de B. G. II. 5.
3) De B. G. II. 8.
4) De B. G. II. 5.
5) De B. G. II. 10.
6) De B. G. II. 10.
7) De B. G. II. 7.
8) De B. G. II. 10.

Non statim eos persecutus est, si Dioni credimus inscientia locorum, sin autem Caesari 1) fidem habemus insidias veritus, quod, qua de causa discederent, nondum perspexerat. Sed prima luce equitatem praemisit, legiones subsequi jussit, novissimos adortus est et magnum eorum numerum interfecit 2). Sed nihil invenimus apud Caesarem de opinione Dionis Belgas ea de causa constitisse, quod arbitrabantur sibi cum solo equitatu rem esse, neque circumdati sunt toto Caesaris exercitu sed tribus legionibus, quibus T. Labienum praefecerat 3). Neque verum est, quod Dio perhibet plerosque Belgarum esse caesos reliquosque in deditionem acceptos, sed Romani tantam eorum multitudinem interfecerunt, quantum fuit dici spatium, sub occasumque solis destiterunt seque in castra, ut erat imperatum, receperunt 4). Incredibile est Caesarem majorem reportasse victoriam quam ipse narrat. Quod Dio in fine capitis secundi dicit Caesarem deinceps istarum gentium alias sine proelio alias bello sibi adjunxisse a Caesare ipso longius et accuratius describitur 5). In capite tertio Dio agit de bello cum Nerviis. Quod dicit eos ultro planis locis Caesari cessisse a Caesare ipso affirmatur, qui tradit trans flumen Sabim eos consedisse 6), sed causa hujus rei a Dione de more ficta est. Minime enim Nervii impares ad (*οὐκ ἀξιόμαχοι*) pugnam fuerunt ut mox ostenderunt, sed

---

1) De B. G. II. 11.
2) D. C. XXXIX. 2. Caes. de B. G. II. 11.
3) De B. G. II. 11.
4) De B. G. II. 11.
5) De B. G. II. 12—15.
6) De B. G. II. 16.

alia erat causa cur in planitie pugnam committere noluerint. Fortasse, quum equitatu nihil possent 1), Caesaris equitatum metuebant eaque de causa se in montes collesque contulerant, ut sibi aequo loco pugnarent. Subito Romanos aggressi sunt 2); pars eorum est victa, pars vicit et castra hostium cepit. Dio tradit eo in loco eos esse victos, ubi Caesar ipse fuit; in commentariis autem invenimus Caesarem reversum a cohortatione decimae legionis iis legionibus (duodecimae et septimae) affuisse, quae maxime premebantur 3). Titus Labienus his legionem decimam, quae dextrum cornu hostium vicerat, et duas legiones, quae in novissimo agmine praesidio impedimentis fuerant, subsidio misit 4) eorumque auxilio Nervii pulsi, sed non circumventi et interfecti sunt, quum praedam facerent in castris Romanorum, quod Dio memoriae prodidit. Caput quartum, in quo bellum cum Aduatucis describitur, paucis iisque perexigui momenti exceptis, accurate cum Caesare consentit. Primum a Caesare differt quod dicit Aduatucos arma q u a e d a m de muro jecisse; magnam multitudinem armorum de muro jecerunt in fossam, quae ante oppidum erat, sic ut prope summam muri aggerisque altitudinem acervi armorum adaequarent 5). Neque eos, si Caesarem audiamus, deditionis poenituit, quum opera rursus hominibus nudata viderent, sed „ante inito ut intellectum est consilio tertia vigilia, qua minime arduus ad nostras

1) De B. G. II. 17.
2) D. C. l. l. Caes. de B. G. II. 19.
3) De B. G. II. 25.
4) De B. G. II. 26.
5) De B. G. II. 32.

munitiones ascensus videbatur, omnibus copiis repentino ex oppido eruptionem fecerunt" 1). Reliqua omnia in hoc capite, idque nonnumquam ad verbum, consentiunt. Sequitur apud Dionem 2) alios populos a legatis in potestatem populi Romani esse redactos, Caesarem legiones in hibernacula deduxisse et supplicationem quindecim dierum ob res gestas ei esse decretam, *ὅπερ οὔπω πρότερον ἐγεγόνει,* quae omnia eodem ordine apud Caesarem 3) inveniuntur cum isdem fere verbis in fine: „quod ante id tempus accidit nulli." In ultima parte cap. 5 Dio narrat ea, quae a Servio Galba gesta sunt in Veragros reliquosque populos, qui summas Alpes incolunt. Mirum in modum cum Caesare consentit, quum dicit: *Οὐαράγρους παρά τε τῇ Λεμάνῳ λίμνῃ καὶ πρὸς τοῖς Ἀλλόβριξι μέχρι τῶν Ἄλπεων οἰκοῦντας.* Caesar etiam Nantuates et Sedunos praeter Veragros nominat, „qui a finibus Allobrogum et lacu Lemanno ad summas Alpes pertinent" 4). Hos omnes Galba vicit, et in eorum agro hiemare constituit 5). Dio ita pergit; quum autem plerique militum, alii, quibus Galba commeatum dederat 6) quia non longe ab Italia aberant, alii singillatim discessissent, incolae hac occasione usi subito Galbam aggressi sunt." Haec non sunt vera, sed luce omni clarius demonstrant Dionem Caesaris commentariis esse usum. Caesaris locum afferam 7). „Id aliquot de causis acciderat,

1) De B. G. II. 33.
2) Cap. 5.
3) De B. G. II. 34, 35.
4) De B. G. III. 1.
5) D. C. cap. 5 de B. G. III. 1.
6) Cum Bekkero et Dindorfio emendavi *παρέμενον* in *παρειμένοι.*
7) De B. G. III. 2.

ut subito Galli belli renovandi legionisque opprimendae con-consilium caperent: primum, quod legionem neque eam plenissimam detractis cohortibus duabus et compluribus singillatim, qui commeatus petendi causa missi erant, propter paucitatem despiciebant." Haec Dio legit et ex his sua sumpsit. De cohortibus duabus detractis omisit, qnod neque antea commemoraverat eas cohortes in Nantuatibus esse collocatas 1). Commeatus autem non de frumento, sed de libero militum arbitrio eundi, quocumque voluerunt, intellexit et de suo addidit commeatum iis esse datum, quia non longe ab Italia aberant. Sin autem hic error eo modo ortus est jam pro certo ponere possumus Dionem in historia conscribenda adhibuisse Caesaris commentarios. Addit Dio Galbam a barbaris paene esse oppressum, sed eruptione facta vicisse eos et per eos in locum sublimem evasisse, eorum facinus esse ultum eosque in servitutem redegisse, quae universe sat bene cum Caesare 2) consentiunt. Sed si Caesari credimus non solum fudit barbaros, sed ne in locis quidem superioribus consistere eos passus est. Neque autem in servitutem eos redigit, sed postero die in castra reversus inde legionem primum in Nantuates, deinde in Allobroges reduxit, ibique hiemavit 3), quod etiam a Dione affirmatur, Omnes hujusmodi errores, qui in unoquoque fere capite inveniuntur et quorum magnum numerum in capitibus proximis deprehendimus imputandi sunt neglegentiae Dionis, qui memoria in

1) De B. G. III. 1.
2) De B. G. III. 4—6.
3) De B. G. III. 6.

historias rettulit, quae apud Caesarem in reliquisqe suis fontibus legerat.

Tertius Gallici belli annus a Dione describitur in eodem libro cap. 40—46. Belli cum Venetis hanc causam dicit: comprehendisse Venetos nonnullos milites Romanos ad frumentandum missos et retinuisse legatos, qui eos reposcerent, ut his redditis obsides suos recuperarent. Quod verum est de militibus 1), non ita de legatis. Non enim Caesar legatos misit ad Venetos, sed Veneti legationem ad P. Crassum Caesaris legatem miserunt, si velit suos recipere, obsides sibi remittat 2). Fortasse Dio legatorum mentionem adjecit, quod Caesar paulo post dicit legatos a Venetis esse retentos 3), sed his legatis significantur milites aut potius tribuni militum, qui frumenti causa missi erant. Obsides Caesar non reddidit, sed alius aliim in locum dimissis, alii ut agros eorum, qui una cum Venetis defecerant popularentur, alii ut socios Romanorum observarent, ne quid ab iis moveretur, ipse in Venetos profectus est 4). Quae omnia a Caesare ipso 5) affirmantur. Quod sequitur apud Dionem Caesarem in regionibus mediterraneis construxisse navigia, quae ad aestum maris ferendum acceperat esse idonea eaque per flumen Ligerim deduxisse ad mare, non est verum. Decimum Brutum classi Gallicisque navibus, quas ex Pictonibus et Santonis reliquisque pacatis regionibus convenire jusserat, praeficit et,

1) De B. G. III. 8.
2) De B. G. III. 9.
3) De B. G. III. 9.
4) D. C. XXXIX. 40. 2.
5) De B. G. III. 11.

cum primum posset in Venetos proficisci jubet 1). Interim ipse complura oppida expugnavit 2) et ea re magnam partem aestatis consumpsit. Oppidorum situs a Dione tam confuse et obscure describitur, ut non intelligamus, quid sibi velit, nisi verbis Caesaris quasi commentario utamur. Quod ut appareat ipsius Dionis verba afferam iisque adjungam, quae Caesar dicit: *πᾶσαν ὀλίγου τὴν ὡραίαν μάτην ἀνάλωσεν· αἵ τε γὰρ πόλεις ἐπ᾽ ἐρυμνῶν χωρίων ἱδρυμέναι ἀπρόσιτοι ἦσαν, καὶ ὁ ὠκεανὸς πάσας ὡς εἰπεῖν περικλύζων ἄπορον μὲν τῷ πεζῷ, ἄπορον δὲ καὶ τῷ ναυτικῷ τὴν προσβολήν, καὶ πλημμύρων καὶ ἀναρρέων. ἐν τε τῇ ἀμπώτιδι καί ἐν τῇ ῥαχίᾳ ἐποίει.* Ubi non perspicimus, quo modo oceanus aestuum accessu et recessu aditum et navibus et pedestribus copiis impediat, quod tandem videmus, si Caesarem inspicimus 3): „Erant ejusmodi fere situs oppidorum, ut posita in extremis lingulis promunturiisque neque pedibus aditum haberent, cum ex alto se aestus incitavisset, quod bis accidit semper horarum XXIV spatio, neque navibus, quod rursus minuente aestu naves in vadis afflictarentur." Addit Dio Decimum Brutum tandem Caesari auxilio venisse cum celeribus navibus e mari mediterraneo; quam rem Caesar non commemorat, sed dicit Brutum venisse 4) cum classi, quam habebat, Gallicisque navibus, quas pacatis populis imperaverat 5). Si contendit Caesarem non magnam spem in hac classi habuisse, hoc fortasse sump-

---

1) De B. G. III. 11.
2) De B. G. III. 14.
3) De B. G. III. 12.
4) De B. G. III. 14.
5) De B. G. III. 11.

sit ex ea re, quod Caesar multa dicit 1) de difficultate pugnandi navibus parvis et levibus Romanorum cum navibus barbarorum magnis totisque ex robore factis. De eadem re Dio in capite sequenti 2) eadem fere quae Caesar 1) dicit sed praeterea nonnulla de suo addidit, quae breviter indicabo. Dicit barbaros classem Romanorum propter navium exiguitatem sprevisse et statim naves suas vento multo incitatas eduxisse ad pugnam, quarum rerum alterum 3) modo a Caesare memoriae proditur. Admodum stultum est, quod deinde sequitur: „velis enim ex pellibus utebantur, ut omnem venti impetum exciperent." Utebantur velis ex pellibus sed nun ut venti impetum melius exciperent, sed „sive propter lini inopiam ejusque inscentiam, sive, quod est magis verisimile, quod tantas tempestates Oceani tantosque impetus ventorum sustineri ac tanta onera navium regi velis non satis commodo posse arbitrabantur" 4). Quae Dio capite 42 de pugna navali ipsa narrat non multo melius sese habent. Neque enim Brutus, quam diu magnus ventus flavit, pugnam committere non ausus est, neque in animo habebat eorum impetus in terra depellere; sed quum Caesaris commentarios ante oculos Dio haberet, ibique legerit 5): „neque satis Bruto, qui classi praeerat, vel tribunis militum centurionibusque, quibus singulae naves erant attributae, constabat, quid agerent aut quam rationem pugnae insisterent;"

1) De B. G. III. 13.
2) Cap. 41.
3) De B. G. III. 14.
4) De B. G. III. 13.
5) De B. G. III. 14.

hinc collegit Brutum pugnam committere non ausum esse. Quod addit, eum tum demum naves suas ad pugnam eduxisse, quum venti vis caderet, ne hoc quidem verum est. Tranquillitas est orta, quum Romani jam vicissent Gallique se in fugam convertissent 1); neque in ea re necesse est Caesari fidem habere, sed si quis reputet Romanis non falcium opus fuisse, quibus funes, qui antemnas ad malos destinabant, abcinderent 2), si jam ante pugnam vis venti cecidisset, jam statim concedet Caesarem hic veritatem tradidisse neque credet Dioni, qui (cap. 43) dicit falces tum demum a Romanis esse admotas, quum jam victoriam reportassent, ne ventus denuo exsurgens naves Gallorum moveret. Prorsus enim est incredibile eos post pugnam fecisse, quod ante pugnam, quum multo majorem usum haberet, neglexissent. Reliqua omnia in hoc capite et in cap. 43, quod sequitur, quatenus ad pugnam pertinent plane sunt ficta. Vidimus supra 3) in descriptione pugnae cum Ariovisto Dionem in hujusmodi rebus ingenio et naturae indulgere. Idem hic facit et non minus stulta profert quam illic. Hoc solum e. g. afferam nonnullos Gallorem Dione auctore in mare desiliisse ut vel naves Romanorum conscenderent, vel a Romanis non interficerentur.

Transeo ad caput 44, quo bellum cum Morinis et Menapiis narrat. Scribit Dio Caesarem arbitratum esse se facile eos esse victurum, quod etiam apud Caesarem inveni-

---

1) De B. G. III. 15.
2) De B. G. III. 14.
3) pag. 28.

mus 1). Morini et Menapii se suaque omnia in silvas et paludes contulerunt et inde, si Dioni credimus, plus damni invadentibus Romanis intulerunt, quam ipsi ab iis acceperunt. Caesar 1) autem rem ita narrat: Ad quarum initium silvarum, quum Caesar pervenisset castraque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, dispersis in opere nostris subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt et in nostros impetum fecerunt. Nostri celeriter arma ceperunt eosque in silvas repulerunt et compluribus interfectis longius impeditioribus locis secuti paucos ex suis deperdiderunt." Habemus exemplum ejus rei de qua supra 2) egi, Dionem de clade Caesaris cogitare solere, si Caesar ipse confitetur se paucos ex suis perdidisse. Quod non ita videtur viro doctissimo Eyssenhardt 3), qui non dubitat quin Caesar veritatem detorserit. Sed nullis argumentis nititur, non demonstrat Caesaris narrationem non esse verisimilem neque hujus Dionis consuetudinis rationem habet neque eam observasse videtur. Ego contra contendo quam maxime esse verisimile Morinos et Menapios eruptione facta a militibus legionariis in silvam esse repulsos, nonnullosque milites ab iis esse caesos, quum fugientes cupidius sequerentur. Neque de clade Caesaris mihi cogitandum esse videtur, quum constet quum ex commentariis 4) tum ex hoc capite Dionis eum post pugnam silvis caesis, materiaque caesa pro vallo exstructa Gallos esse persecutum et ea demum de causa a

1) De B. G. III. 28.
2) pag. 27.
3) Fleckeisens Jahrbücher 85 pag. 761.
4) De B. G. III. 29.

bello abstitisse, quod jam hiems suberat et ejusmodi sunt tempestates consecutae, uti opus necessario intermitteretur et continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent. Addo sequenti anno Morinos ultro legatos ad Caesarem misisse eoque ea, quae imperasset, se facturos pollicitos esse 1), quod etiam a Dione 2) affirmatur. Hoc profecto non fecissent, si plus damni intulissent Romanis quam ipsi ab iis accepissent.

Multo melius cum Caesare 3) consentiunt, quae Dio cap. 45 de bello cum Venellis narrat. Omnia, quae apud Caesarem leguntur, eodem ordine apud Dionem recurrunt praeterquam quod de timore Sabini dicit. Sed semper et ubique, si aut Caesar ipse aut ejus legatus non statim pugnam committit, de timore loquitur eosque pugnare non ausos esse opinatur, cujus rei tam multa exempla inveniuntur, ut non sit operae pretium omnia commemorare. Semel monuisse sat habebo. Absurdum est quod dicit Venellos, quum castra Sabini aggrederentur, sarmenta et ligna secum apportasse, ut Romanos concremarent; vera hujus rei causa a Caesare 4) traditur nempe, ut fossas Romanorum compleant. In reliquis tamen omnibus in hoc capite inter Caesarem et Dionem convenit, ambo tradunt Venellos se statim post pugnam Sabino dedidisse, ambo etiam hac deditione commemorata idem 5) dicunt de natura ac indole Gallorum. Apud Dionem inveni-

1) De B. G. IV. 22.
2) D. C. XXXIX. 51.
3) De B. G. III. 17—19.
4) De B. G. III. 18.
5) De B. G. III. 19.

mus: „ἄπληστοι γὰρ ἀλογίστως οἱ Γαλάται ἐς πάνθ' ὁμοίως ὄντες οὔτε τὸ θαρσοῦν σφῶν οὔτε τὸ δεδιὸς μετριάζουσιν, ἀλλ' ἔκ τε τούτου πρὸς δειλίαν ἀνέλπιστον καὶ ἐξ ἐκείνου πρὸς θάρσος προπετὲς ἐκπίπτουσιν et apud Caesarem: „Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est." Quae quia, quamquam non ad res gestas pertinent et a Dione etiam alio loco inseri potuerunt, tamen plane consentiunt et eodem quo apud Caesarem loco dicta sunt, mihi sunt argumento Dionem Caesaris commentarios adhibuisse.

Venimus jam ad caput 46, quod belli cum Aquitanis historiam continet, quae ex Caesare 1) ipso petita videtur. Sed Dio dicit Publium Crassum profectum esse in Apiates, Caesar Sontiates nominat. Sin autem NT et AΠ confundi possunt, fieri potest e CONTIATEC, primis duobus litteris elisis ortum esse AΠIATEC. Eodem modo igitur, quo licebat AΔPAN in ΓΑΛΒΑΝ 2) emendare, quod jam Bekkerus et Dindorfius fecerunt, hic licebit legere Sontiates. Sed ad propositum redeo. Omnia in hoc capite cum Caesare consentiunt paucis exceptis, quae afferam, ut demonstrem fieri posse, ut etiam haec ex Caesare orta sint. Narrat Dio Crassum Sontiatibus victis et in deditionem acceptis alios invenisse hostes, qui etiam ex Hispania veteranos Sertorianos milites secum habebant 3), eosque magis arte militari quam temere bellum gessisse 4). Addit Crassum metum simulasse, sed quamquam

---

1) De B. G. III. 20—27.
2) D. C. XXXIX. 1.
3) De B. G. III. 23.
4) De B. G. III. 23.

eum contempserunt ne ita quidem efffecisse, ut manum conserere vellent, eumque tandem necopinato eos esse aggressum. Neque de metu simulato Crassi neque de ea re, quod necopinato eos aggressus est Caesar mentionem facit, sed ita de initio pugnae dicit 1): „Quod ubi Crassus animadvertit (eos magis arte militari quam temere bellum gerere) non cunctandum existimavit, quin pugna decertaret.... cohortatus suos omnibus cupientibus ad hostium castra contendit." Sed fortasse metum Crassi Dio hausit ex perversa interpretatione verborum Caesaris: „Crassus, quum sua cunctatione atque opinione timoris hostes nostros milites alacriores ad pugnandum effecissent etc." 2) atque opinatus est Aquitanos contemnere Romanos propterea quod Caesar 3) dicit: Illi, etsi propter multitudinem et veterem belli gloriam paucitatemque nostrorum se tuto dimicaturos existimabant, tamen etc." Unde tamen sumpserit Crassum necopinato eos esse aggressum non video. Cap. 47 et 48 agunt de bello cum Usipetis et Tencteris. Tencteri et Usipeti partim quod a Suevis exacti 4) partim quod a Gallis arcessiti erant 5), Rhenum trajicerant 6) et in fines Treverorum (ut Caesar dicit: clientium Treverorum) pervenerant. Ibi Caesarem invenerunt et legatos ad eum miserunt, qui petierunt vel agros sibi attribui vel concedi, ut tenerent quos armis possederint 7).

---

1) De B. G. III. 23 et 24.
2) De B. G. III. 24.
3) De B. G. IV. 4.
4) De D. G. IV. 6.
5) De B. G. IV. 4.
6) De B. G. IV. 6.
7) De B. G. IV. 7.

Hucusque ut indicavi, eadem et apud Caesarem et apud Dionem leguntur, sed in sequentibus differunt. Apud Dionem legati Germanorum, quum nihil impetravissent ultro polliciti sunt se domum esse reversuros indutiasque petierunt. Apud Caesarem respondetur 1) licere si velint, in Ubiorum finibus considere et 2) legati haec se ad suos relaturos esse dixerunt et re deliberata post diem tertium ad Caesarem reversuros. Quodsi Dio in his veritatem tradit multo major fit perfidia Germanorum, qui Dione et Caesare 3) auctoribus, hisce indutiarum diebus equitatum Caesaris suis octingentis equitibus aggressi sunt et in fugam conjecerunt. Quam perfidiam Dio statim imminuere conatur dicens eam a junioribus esse commissam eosque modo paucos equites Romanorum esse aggressos. Sed statim refutatur et a Caesare ipso et a Plutarcho 4) qui ea, quae Caesar tradiderat, in vita Caesaris rettulit et ab Appiano 5), qui tradit Sygambros quingentis equitibus quinque milia equitum Caesaris vicisse et in fugam conjecisse, ubi sine dubio Sygambros dicit pro Usipetis et Tencteris. Nusquam enim Sygambri cum equitatu Caesaris conflictati sunt, numerus quinque milium etiam in commentariis invenitur, non est magni momenti quod quingentos pro octingentis dicit et paulo ante de Usipetis et Tencteris egerat.

Cap. 48 Dio deinde ita pergit: majores natu invitis junioribus ad Caesarem venerunt et culpa in paucos conjecta

---

1) De B. G. IV. 8.
2) De B. G. IV. 9.
3) De B. G. IV. 12.
4) Plut. Caes. 22.
5) App. ἐκ τῆς Κελτικῆς 1. 4.

veniam petierunt. Caesar eos retinuit et respondit se paullo post iis responsum esse daturum, sed nihilo minus statim ceteros aggressus est, eos vicit et plerosque interfecit. Haec omnia a Caesare 1) affirmantur, sed addit majores natu ea de causa ad eum venisse, ut se purgarent et, si quid possent de indutiis fallendo impetrarent, ut tridui mora interposita equites eorum reverterentur 2), quos aliquot diebus ante praedandi frumentandique causa ad Ambivaritos trans Mosam miserant 3). Utrum re vera majoribus natu Germanorum fidem non haberet, non facile quisquam inveniet, sed unusquisque concedet eum non iterum indutias facere potuisse, quum jam semel vidisset majoribus natu juniores non paruisse neque eos indutiis factis a proeliis abstitisse. Sin autem re vera putavit perfidia omnium Germanorum pugnam cum equitatu suo esse commissam eosque legatione missa nihil aliud spectare quam moras nectere justam causam habuit et legatos retinendi et statim ceteros aggrediendi. Statim igitur pugnam commisit, quod sua quam maxime interfuit prius vicisse eos quam equites eorum reverterentur. Quae si ita sunt nullo modo hoc in bello de mala fide Caesaris cogitandum esse videtur. Quod Dio addit equites Germanorum qui tum forte aberant statim postquam hac de re certiores facti erant decedisse et se ad Sygambros contulisse Caesaremque postulasse, ut Sygambri eos sibi dederent, a Caesare 4) affirmatur. Non ita verum est eum hoc fecisse,

---

1) De B. G. IV. 13—15.
2) De B. G. IV. 11.
3) De B. G. IV. 9.
4) De B. G. IV. 16.

ut praetextum Rheni transeundi haberet, cujus rei Caesare 1) auctore justissima illa fuit causa, quod, quum videret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit. Accessit 1) modo, quod Sygambri negaverant se equites Usipetos esse dedituros. Sed Dio ordinem mutat, et quae Caesari causa fuerat secunda primam facit, quae Caesari prima secundam. Quae admodum breviter addit de expeditione ipsa plane cum Caesare consentiunt.

Cap. 49 Rhenum describit et cap. 50 Brittanniam, quae, quia non ad propositum pertinent, missa facio et transeo ad capita 51 et 52 quae de prima Caesaris expeditione in Brittanniam agunt. Pleraque, quae apud Dionem leguntur, plane eodem modo apud Caesarem 2) descripta invenimus, paucis exceptis, quae afferam ut constantia Dionis in erroribus committendis appareat. Narrat 3) Brittannos post primam cladem legatos ad Caesarem de pace misisse pacemque cum Romanis composuisse, sed classi Romana tempestate afflicta eos pacis poenituit et bellum renovarunt 4). Non autem aperte aggredi Romanos ausi sunt, sed qui frumentatum missi erant, circumvenerunt et plerosque eorum interfecerunt paucis exceptis, quibus a Caesare celeriter subventum est. Apud Caesarem 5) invenimus totam legionem septimam frumentatum esse missam neque plerosque eorum esse interfectos sed paucos, reliquosque incertis ordinibus esse perturbatos. Ejus-

---

1) De B. G. IV. 16.
2) De B. G. IV. 20—36.
3) D. C. cap. 52. De B. G. IV. 30. 31.
4) Cap. 52. De B. G. IV. 32—34.
5) De B. G. IV. 32.

demmodi erroris exempla jam supra indicavi. Quod Dio addit Brittannos deinde castra Romanorum esse aggressos, non est verum. Hoc fortasse sumpsit ex verbis Caesaris 1): „barbari celeriter magna multitudine peditatus equitatusque coacta ad castra venerunt." Non autem castra agressi sunt, sed ante castra pugnam commiserunt et a Romanis victi sunt 2). Sequitur pax et Caesar in Galliam revertitur.

Venio nunc ad quintum belli Gallici annum, ad alteram expeditionem Caesaris in Brittanniam, de qua Dio agit L. XL cap. 1—3, ubi in aliis cum Caesare consentit, in aliis ab eo differt. Quae eodem modo ac Caesar narrat non sunt ejusmodi, ut demonstrent eum commentarios adhibuisse, sed multo minus contrarium nobis probant. Itaque me ad ea, quae sunt diversa, converto de iisque pauca disputabo, ut appareat in illis omnibus Caesarem veritatem tradidisse. Dio dicit Brittannos classe Romanorum appulsa se contulisse in loca densissimis silvis obsita ibique nanctos esse munitionem, quam caesis in circuitu arboribus aliisque ordinatim insuper aggestis confecerant. Inde pabulatores Romanos vexabant. Crederes hanc munitionem esse exstructam, ut se suaque contra Romanos defenderent, sed apud Caesarem 3) invenimus hunc esse locum, „quem domestici belli, ut videbatur, causa jam ante praeparaverant," quod Dio addere neglexit. Brittanni ex silvis rari propugnabant Romanosque intra munitionem ingredi prohibebant 4), quod fortasse idem est, quod

1) De B. G. IV. 34.
2) De B. G. IV. 35.
3) De B. G. V. 9.
4) De B. G. V. 9.

Dio dicit, Brittannos venare pabulatores Romanos. Dio deinde ita pergit: *καὶ δὴ καὶ μάχῃ τινὶ ἐν τῷ ψιλῷ ἡττηθέντες ὑπήγαγόν σφας* (Romanos) *ἐκεῖσε κατὰ τὴν δίωξιν καὶ συχνοὺς ἀντκπέκτειναν*, dum apud Caesarem 1) longe alia sequuntur: „At milites legionis septimae testudine facta et aggere ad munitiones adjecto locum ceperunt eosque ex silvis expulerunt paucis vulneribus acceptis. Sed eos fugientes longius Caesar prosequi vetuit, et quod loci naturam ignorabat et quod magna parte diei consumpta munitioni castrorum tempus relinqui volebat." Eyssenhardt 2), de quo jam saepius dixi, non dubitat contendere falsum esse quod apud Caesarem, verum quod apud Dionem invenitur. Paullo igitur accuratius locum inspiciamus et videamus quid in utramque partem disputari possit. Eyssenhardt non intelligit, quare Caesar Brittannorum munitionem, si re vera a militibus septimae legionis capta esset, non occupaverit. Quod nisi fallor ea de causa non fecit, quod castra Romana legionibus multo aptiora et tutiora erant quam munitio Brittannorum neque periculum erat ut Brittanni, qui nuper victi erant reverterentur. Postridie tempestas nuntiatur, qua prope omnes naves afflictae atque in litore ejectae erant 3) et Caesar in castra revertitur, ut naves reficiat. Brittanni autem non Caesarem persequuntur, quod sine dubio fecissent, si re vera vicissent Romanos et multos eorum interfecissent, sed auxilia a sociis arcessunt 4), quod profecto non fecissent, si victoriam repor-

---

1) De B. G. V. 9.
2) pag. 761.
3) De B. G. V. 10. D. C. XL. 2.
4) De B. G. V. 11. D. C. XL. 2.

tassent. Superest quaestio, unde error apud Dionem ortus sit. Legit ea, quae Caesar scripsit de eo die 1), quum Brittanni post tempestatem duce Cassivellanno ad castra Romana contenderunt: „Nostri omnibus partibus superiores fuerunt atque eos in silvas collesque compulerunt; sed compluribus interfectis cupidius insecuti nonnullos ex suis amiserunt." Ubi si ex more Dionis nonnullos mutas in multos habes ea, quae narrat de proelio ante tempestatem. Quae de proelio post tempestatem navesque a Caesare refectas tradit non multo melius sese habent. Dicit primum aequo Marte esse pugnatum propterea quod Romani initio pugnae insolito genere pugnae cum essedariis perterriti deinde intercapedine inter ordines facta, praetermissis essedis ex transverso in hostes praetervehentes jaculati, pugnam restituerunt. De quibus rebus apud Caesarem 2) nihil invenimus praeter hoc Romanos ab essedariis esse perturbatos sed tamen aequo Marte esse pugnatum. Reliqua de modo atque ratione, qua pugnam restituerunt a Dione ficta videntur quod plerumque facit in proeliis describendis ut jam supra in pugna cum Ariovisto et in pugna navali cum Venetis vidimus. De pugna, quae postero die facta est, Dio (cap. 3) paene contrarium scripsit eorum, quae apud Caesarem leguntur. Dicit Brittannos vicisse pedites Romanorum sed victos esse ab equitibus, dum apud Caesarem 3) legimus: „Nostri (tres legiones pabulandi causa e castris profectae) acriter in eos

---

1) De B. G. V. 15.
2) De B. G. V. 15. 16.
3) De B. G. V. 17,

impetu facto reppulerunt neque finem sequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites, cum post se legiones viderent, praecipites hostes egerent, magnoque eorum numero interfecto neque sui colligendi neque consistendi aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt." Quod Caesar de equitibus dixit Dio memoria confisus in historias rettulit, sed oblitus est Brittannos re vera non ab equitibus sed a legionibus esse victos. Reliqua in hoc capite cum Caesare consentiunt: Cap. 4 non facta sed opiniones Dionis commemorantur quas quia prorsus nullius sunt momenti missas facio. Sequenti hieme seditio orta est ab Ambiorige et Eburonibus, qui Indutiomari Treveri nuntiis impulsi 1) subito oppressis lignatoribus magna manu ad castra oppugnatum venerunt. Dio (cap. 5) dicit eos ea de causa seditionem movisse, quod Sabinum et Cottam contemnebant velut defensione impares, quod nulli imponet, qui meminerit quam absurda in talibus fingere solet. Quae de seditione ipsa narrat et in hoc capite et in capite 6 sat bene cum Caesare consentiunt. Fallitur autem, dum tradit Romanos sub vesperam e castris esse profectos, quod jam per se tam stultum est, ut non facile Caesar ipse nobis persuaderet hoc a Sabino et Cotta esse factum. Sed si commentarios 2) inspicimus videmus eos prima luce esse profectos. Finxit praeterea ea, quae de morte Sabini narrat, quia non sat pulchrum et ornatem ei visum est, quod apud Caesarem 3) legit. Proferam verba Caesaris et adscri-

1) De B. G. V. 26.
2) De B. G. V. 31.
3) De B. G. V. 37.

bam Dionis narrationem, ut appareat (de qua re jam supra dixi) quo modo in ejusmodi rebus veritatem ornare solet: „Sabinus quos in praesentia tribunos militum circum se habebat et primorum ordinum centuriones se sequi jubet et, cum propius Ambiorigem accessisset, jussus arma abjicere imperatum facit suisque, ut idem faciant, imperat. Interim, dum de condicionibus inter se agunt, longiorque consulto ab Ambiorige instituitur sermo, paulatim circumventus interficitur." Et apud Dionem: *καὶ τὸν Σαβῖνον ὁ Ἀμβιόριξ μετεπέμψατο μὲν ὡς καὶ σώσων, οὔτε γὰρ τοῖς γιγνομένοις παρῆν, καὶ πιστὸς αὐτῷ καὶ τότε ἐδόκει εἶναι, συλλαβὼν δὲ δή, καὶ ἀποδύσας καὶ τὰ ὅπλα καὶ τὴν ἐσθῆτα, κατηκόντισεν, ἐπιλέγων ἄλλα τε καὶ ὅτι τοιοίδε μέντοι ὄντες πῶς τηλικούτων ἡμῶν ὄντων ἄρχειν ἐθέλετε;* Tam perspicuum est ultima a Dione orationis ornandae causa esse ficta, ut ne verbum quidem addam, sed transeam ad seditionem in reliqua Gallia, ad oppugnationem castrorum Ciceronis, quae a Nerviis reliquisque Galliae civitatibus paene capta sunt. Quae Dio (cap. 7—10) de hac oppugnatione narrat, paucis exceptis tam apte cum Caesare consentiunt, ut rursus sint argumento Dionem commentariis ipsis esse usum. Dicit nonnullos milites vivos a Nerviis esse captos, primoque die paene aequo Marte esse pugnatum i. e. oppugnationem aegre esse sustentatam 1). Deinde Nervii Ciceronem in fraudem adducere conati sunt 2), sed hac spe depulsi ad obsidionem se convertunt valloque et fossa hiberna cingunt, quod superiorum annorum consue-

---

1) De B. G. V. 39.
2) De B. G. V. 41.

tudine a Romanis cognoverant et a captivis, quos de exercitu habebant, docebantur. Multitudine hominum magna celeritate opus perficitur 1).

Aliquoties etiam, ut in ejusmodi re fieri solit, dimicatum est, in quibus proeliis multo major numerus barbarorum interfectus est 2). Praeterea Dio de suo addidit Gallos multitudine suorum ne sensisse quidem, si quosdam amiserant, sed Romanos quorum parvus numerus erat hisce proeliis multo debiliores esse factos. Quod, quamquam sine dubio verum est, facile ab unoquoque addi potuit, qui apud Caesarem legerat, quanta multitudo barbarorum fuerit 3) et quam pauci defensores jam paucis post diebus incolumes superfuerint 4). Haec omnia, ultimo excepto, ut in notis indicavi paulo longius et accuratius apud Caesarem inveniuntur et sunt ejusmodi, ut vix credibile esset Dionem haec commemorare, si Caesaris commentarios non adhibuisset.

In capite sequenti (cap. 8) commemorat Romanos vulnera curare non potuisse inopia necessariorum (*τῶν ἐπιτηδείων*), neque abundasse copia frumenti neque iis auxilio esse ventum ex reliquis hibernis, quamquam non admodum procul aberant. Quae fortasse sunt vera, sed Caesar de his rebus mentionem non facit praeterquam quod dicit 5) se, quod eo anno frumentum in Gallia propter siccitates angustius provenerat, coactum esse aliter ac superioribus annis exercitum

1) De B. G. V. 42.
3) De B. G. V. 43.
3) De B. G. V. 42.
4) De B. G. V. 45.
5) De B. G. V. 24.

in hibernis collocare legionesque in plures civitates distribuere. Hinc Dio fortasse inopiam frumenti sumpsit et illud de vulneribus curandis et de auxiliis de suo adjecit. Quod addit Gallos, omnibus viis obsessis excepisse nuntios a Cicerone ad Caesarem missos, eosque interfecisse in conspectu exercitus Romani a Caesare 1) affirmatur. Tandem Nervius aliquis servo persuadet, ut nuntium ad Caesarem perferat et ab hoc servo Caesar de periculo Ciceronis legionisque certior fit 1). Eadem de hac re Dio et Caesar tradunt, ut etiam in sequentibus plerumque consentiunt.

Ambo narrant 2) Caesarem statim in Nerviorum fines esse profectum equitemque Gallum nuntium ad Ciceronem misisse, cum epistola Graecis consripta litteris ut eum de Caesaris adventu certiorem faciat. Hunc equitem monet, si adire non possit, ut tragulam cum epistula ad amentum deligata intra munitionem castrorum abjiciat. Eques hoc fecit, tragula ad turrim adhaesit, a Romanis est inventa et hoc modo Cicero de adventu Caesaris certior est factus. Omnia ut vides hucusque non modo summatim sed etiam in rebus parvi momenti apte consentiunt, sed una in hoc capite est res, in qua propterea quod Caesar ei non sat rationum rerum reddere visus est, ab eo dissentit. Res tam perspicua est ut Dionem tamquam manifesto deprehensum teneamus.

Caesar narrat 3) se equitem Gallum nuntium ad Ciceronem misisse, sed Dio non intellexit, quare servum Nervium, cujus

---

1) De B. G. V. 45.
2) D. C. XL. 9. De B. G. V. 46—48.
3) De B. G. V. 48.

fidem perspectam habebat, non miserit. Finxit igitur causam et de suo addidit: τῷ μὲν γὰρ οἰκέτῃ τοῦ Νερουίου, καίτοι πεῖραν ἔργῳ τῆς εὐνοίας αὐτοῦ λαβών, οὐκ ἐπίστευσε, μὴ καὶ τοὺς πατριώτας ἐλεήσας μέγα τι κακόν σφας ἐξεργάσηται. Deinde quia non vidit, quomodo eques Gallus, qui non erat Nervius tuto inter Nervios versare posset equitem dicit τήν τε διάλεκτον αὐτῶν εἰδότα καὶ τῇ στόλῃ τῇ ἐκείνων σκευασθέντα, tamquam non unusquisque eques Gallus aeque gratus et acceptus. Nerviis fuisset, dummodo contra Romanos pugnare vellet.

In capite 10 invenimus Caesarem noctu iter ad Ciceronem fecisse et interdiu castra in locis occultis posuisse, ut subito Nervios aggrederetur, dum vix credibile sit eum in media hieme per regiones ignotas, Gallorum voluntate non perspecta, hoc facere ausum esse. Sin autem Caesaris commentarios inspicimus nihil ejusmodi legimus, sed potius contrarium ex iis colligere possumus. Nuntium mittit ad Crassum quaestorem in Bellovacos 1), ut ad se veniat. Deinde ita pergit 2): „Hora circiter tertia (i. e. hora d i e i tertia; Crassus enim media nocte ex hibernis profectus erat, ejusque hiberna milia possuum XXV aberant) ab antecursoribus de Crassi adventu certior factus eo d i e passuum milia XX procedit." Fortasse Dionem in errorem induxit, quod legit apud Caesarem 3): „Caesar acceptis litteris (Ciceronis) statim nuntium in Bellovacos ad M. Crassum quaestorem mittit; jubet m e d i a n o c t e legionem proficisci celeriterque ad se venire."

---

1) De B. G. V. 46.
2) De B. G. V. 47.
3) De B. G. V. 46.

De hoc uno itinere nocturno Caesar mentionem facit; in ceteris quemadmodum in loco supra laudato non dicit nisi de itineribus interdiu factis. Quod Dio addit barbaros tandem laetitia in castris Romanorum Caesaris adventum suspicatos per exploratores rem cognovisse fortasse etiam ex commentariis male intellectis aut negligenter lectis hausit, ubi Caesar 1) de ex re ita dicit: Cicero perlectam (epistolam) in conventu militum recitat, manimaque omnis lactitia afficit. Tum fumi incendiorum procul videbantur, quae res omnem dubitationem adventus legionum expulit. Galli re cognita per exploratores obsidionem relinquunt, ad Caesarem omnibus copiis contendunt."

Quae apud Dionum sequuntur de pugna ipsa, de parvis Caesaris castris, ut simulatione timoris barbaros ad pugnam eliceret prorsus cum Caesare 2) consentiunt.

In capite 11 Dio egit de proelio inter Labienum et Treveros, et admodum breviter eadem atque Caesar 3) narrat praeterquam quod dicit Treveros bellum contra Romanos suscepisse, ea de camsa quod, quum Caesar in auctores defectionis singulos supplicia statuerit, verebantur, ne a se quoque poenae exigerentur. Multo aliter sese res habet. Jam dudum Treveri et Indutiomarus de defectione cogitabant eorumque nuntiis inpulsi Ambiorix et Catuvolcus Eburones ad castra Sabini et Cottae oppugnanda concitaverant 4). Deinde Sabino et Cotta interfectis cum omnibus copiis ad

1) De B. G. V. 48.
2) De B. G. V. 49—51.
3) De B. G. V. 57. 58.
4) De B. G. V. 26.

Labieni castra contenderunt 1), sed clade Nerviorum nuntiata omnes copias in fines suos reduxerunt 2), sed totius hiemis nullum tempus iutermiserunt, quin trans Rhenum legatos mitterent, civitates sollicitarent, pecunias pollicirentur 3). Tandem quum iterum Labieni castra oppugnare decrevissent, a Labieno Treveri victi sunt et Idutiomarus interfectus est quemadmodum apud Dionem in hoc capite invenimus et etiam apud Caesarem 4) legimus. Venimus jam ad ea, quae sexto Gallici belli anno facta sunt, de quibus Dio, ut ipse dicit, breviter agit in hoc libro cap. 31 et 32. Omissis iis, quae Caesar de conditione totius Galliae dixerat 5) initium facit a bello cum Treveris a Labieno gesto. Dicit Ambiorigem Treveris, qui mortem Indutiomari moleste etiamnum ferebant, adscitis, magnam manum sibi comparasse atque a a Germanis etiam milites conduxisse. Verisimile autem non est Ambiorigem regem Eburonum, civitatis ignobilis atque humilis 6), quae in clientela Treverorum erat 7) nobili atque magnae Treverorum civitati praefuisse et si Caesaris commentarios inspicimus etiam videbimus hoc non esse verum. Ut jam supra 8) vidimus Ambiorix et Catuuolcus reges Eburonum nuntiis Indutlomari ad defectionem impulsi erant. Initium belli inferendi igitur non ab Eburonibus, sed a Treveris

1) De B. G. V. 47.
2) De B. G. V. 53.
3) De B. G. V. 55.
4) De B. G. V. 58.
5) De B. G. VI. 1—6.
6) De B. G. V. 28.
7) De B. G. IV. 6.
8) Pag. 54.

ortum erat. Ab illo autem tempore usque ad tempus, de quo nunc agimus (53 a. Chr. n.) Treveri pacem cum Romanis non composuerant, sed perpetuum bellum gesserant, in quo Indutiomarus ultima parte superioris anni exercitu suo fuso fugatoque interfectus erat 1). „Imperium a Treveris ad ejus propinquos defertur, qui finitimos Germanos sollicitare et pecuniam polliceri non desistunt. Cum a proximis impetrare non possent, ulteriores temptant. Inventis nonnullis civitatibus jurejurando inter se confirmant obsidibusque de pecunia cavent: „Ambiorigem sibi societate et foedere adjungunt" 2). Itaque Caesar plane contrarium atque Dio tradit; Ambiorix non Treveros, sed Treveri Ambiorigem sibi adjungunt. Quod quare sit magis verisimile jam supra dixi Sin autem rogas, quare Dio hic non cum Caesare Ambiorigem Treveris praefecerit, nullam aliam causem atque hanc invenio: non credibile ei esse visum alium quemquam atque Ambiorigem nobilem et notum hominem, qui Sabinum et Cottam vicerat multosque Romanos interfecerat, bello cum Romanis praefuisse.

Antequam hunc locum missum facio inde argumentum petam quo appareat Dionem in historia conscribenda Caesaris commentariis esse usum. In capite 11, ubi agit de bello cum Treveris ultima parte anni 45 a. Chr. n. gesto Indutiomari mortem non commemorat. Hoc loco autem, ubi agit de belio quod Treveri initio anni 53 a. Chr. n. cum Romanis gesserunt, dicit eos etiamnum mortem Idutiomari moleste ferre.

---

1) De B. G. V. 58.
2) De B. G. VI. 2.

Apparet igitur eum in fonte suo legisse Indutionarum superiore anno a Romanis esse interfectum. Itaque versimile est eum libros Caesaris adhibuisse, qui in superioris anni historia Indutiomari mortem commemorat 1),

Reliqua quae Dio in hoc capite 2) de bello cum Treveris et de Labieni victoria narrat cum Caesare 3) consentiunt praeter ea quae dicit de oratione Labieni ad milites in quibus stultum errorem commisit. Labienus operam dabat, ut ante Germanorum adventum manus cum Treveris confligeret eaque de causa timorem simulabat et orationem habuit in qua dixit, oportere Romanos ad Caesarem redire priusquam Germanorum auxilia Treveris subvenirent. De hac oratione Dio ita dicit: ἐδημηγόρησε τοιάδε ἀφ' ὧν τούς τε σφετέρους καταπλήξειν καὶ ἐκείνους (ubi ἐπαρεῖν supplendum esse existimo) ἔμελλε. Sed non in animo habebat suos perterrere et ideo tribunos militum primosque pilos convocat et iis proponit, quid sui sit consilii 3), fortasse ὅπως μὴ τοὺς σφετέρους καταπλήξει. Dio autem oratoris more modoque, ubi ἐπαρεῖν dixerat, etiam contrarium dicere voluit eaque de causa stultum καταπλήξειν addidit.

In sequenti capite (cap. 32) reliqua narrat, quae hoc anno in Gallia facta sunt. Ut jam supra 4) vidimus opinatus est Ambiorigem in hoc bello Treveris praefuisse et igitur necesse erat eum etiam affuisse proelio, in quo Treveri victi sunt, de qua re apud Caesarem nihil invenimus. Praeterea

---

1) De B. G. V. 58.
2) Cap. 31.
3) De B. G. VI. 7, 8.
4) Pag. 56.

Dio tradit Caesarem post hoc proelium oleum et operam perdidisse Ambiorige persequendo, qui modo hac, modo illac diffugiens maxime Romanis nocebat, quod perspicue falsum est. Ambiorigi enim, si concedas eum Treverorum cladi affuisse, quod non est verisimile, nihil opus erat hac atque illac diffugere, quandoquidem in fines Eburonum, quorum rex erat, tutum receptum habebat. Sed neque a Caesare persecutus est, qui quamquam per totum hoc annum nihil aliud spectabat quam hoc unum, ut Ambiorix poenas daret proditionis commissae, tamen non ante ipsum bello lacessere dicreverat quam ei finitimorum annilia detraxerat 1), ne despurata salute Ambiorix aut se in Menapios abderet, aut cum Transrhenanis congredi cogeretur. Eodem igitur tempore, quo Labienus cum Treveris confligavit ipse agros Menapiorum vastavit eosque in deditionem accepit. Treveris autem victis Menapiisque in populi Romani potestatum redactis Rhenum trajecit et post reditum ex Germania tandem in Eburones profectus est. Quarum rerum consilium et causam jam antea exposuerat 1).

Statuamus igitur Ambiorigem neque Treveris praefuisse, neque proelio cum Labieno affuisse, sed per totum hoc tempus tuto in regno suo in finibus Eburonum remansisse neque Caesarem ante expeditionem in Germaniam operam dedisse, ut de Ambiorige poenas sumeret. Justas enim et probabiles rationes harum rerum reddit neque ullam causam habebat reticere se frustra Ambiorigem esse persecutum, quum postea 2)

1) De B. G. VI. 5.
2) De B. G. VI. 30. 34.

hoc idem confiteatur. Accedit altera causa, quare Dionem veritatem non tradidisse arbitror. In posteriore parte hujus capitis, ubi post expeditionem in Germaniam agit de bello cum Eburonibus de Ambiorigis fuga ne verbum quidem addit, dum ex commentariis apparet Caesarem tunc re vera multam operam frustra dedisse ut Ambiorigem caperet poenasque de eo sumeret. Alieno loco igitur inseruit, quae apud Caesarem legerat. De expeditione in Germaniam Dio admodum breviter dicit Caesarem nihil effecisse, sed metu Suevorum esse reversum. Verum est, quod nihil effecit 1), sed quod Suevorum metu reversus est tam stultum est, ut vix Caesari ipsi fidem haberemus, si hoc nobis affirmaret. In commentariis 2) autem legimus eum per exploratores Ubios comperisse Suevos omnes penitus ad extremos fines se recepisse, ibi esse silvam infinita magnitudine, quae appellatur Bacenis; ad ejus initium silvae Suevos adventum Romanorum expectare constituisse. Quare Caesar 3) inopiam frumenti veritus non longius progredi constituit. Sed etiam aliae erant causae, quibus adductus Caesar regionibus densississimis et silvosis bellum gerere noluit cum populo bellicosissimo. Prudentius erat quam ut Gallia nondum pacata, ut probe sciebat, periculosum et fortasse longinquum alterum bellum susciperet. In animo habebat loco sibi aequo acie cum Suevis dimicare 4), quandoquidem sat sibi persuasum habebat in ejusmodi proelio Suevos Romanis pares non esse. Sed quum

---

1) De B. G. VI. 29.
2) De B. G. VI. 10.
3) De B. G. VI. 29.
4) De B. G. VI. 9.

videret hoc nullo modo fieri posse, re infecta in Galliam rediit. Dio de more, quum Caesar ipse hoc confiteatur, de clade Romanorum cogitavit eaque de causa dicit eum metu Suevorum esse reversum. Et complures recentiorum Dionis exemplo hoc idem faciunt.

Quae Dio deinde narrat de internecione Eburonum deque eorum agrorum vastatione cum Caesare 1) consentiunt, praeterquam quod hoc loco, ut jam supra vidimus, nihil dicit de Ambioriges fuga et admodum maligne addit Caesarem hoc fecisse, quamquam Eburones tum nihil moverant, quasi non inde a morte Sabini et Cottae pepetuum bellum cum Eburonibus fuerat. Caesar omnes Gallos ad Eburonum agros populandos evocavit 2) et non solum Galli sed etiam Sygambri Germanorum populus venerunt 3). Qui praeda Eburonum non contenti etiam castra Romanorum, in quibus Caesar impedimenta reliquerat, dum ipse in Eburones profectus erat, aggressi sunt. Inveniunt quosdam ad frumentum comparandum profectos, reliquos in castris relictos 4). Castra autem non capiunt 5), sed multos eorum, qui frumentandi causa profecti erant interficiunt 6). Deinde Caesarem metuentes trans Rhenum sese receperunt 7). Haec omnia etiam apud Dionem leguntur, qui addit eos eo tempore castra esse aggressos,

---

1) De B. G. VI. 30—34.
2) De B. G. VI. 34.
3) De B. G. VI. 35.
4) De B. G. VI. 36.
5) De B. G. VI. 37, 38.
6) De B. G. VI. 39, 40.
7) De B. G. VI. 41.

quum animadvertissent multos frumentatum esse profectos, quodsi Caesari credimus casu accidit. Praetera dicit frumentatores, quum castrorum oppugnationem animadverterent, reversos esse, ut castris auxilio venirent, sed apud Caesarem legimus eos, milites modo conscriptos, tantopere esse perturbatos, ut ne de sua quidem ipsorum salute cogitarent. Hujusmodi errores, ut jam saepius dixi, neglegentiae Dionis imputandi sunt, qui memoria confisus in historias rettulit, quae apud Caesarem legerat.

Venimus nunc ad septimum belli Gallici annum, ultimum, quem Caesar ipse descripsit, de quo Dio agit cap. 33—41 hujus libri. Arverni duce Vercingetorige defecerunt reliquisque Galliae civitatibus persuaserunt, ut idem faciant 1). Vercingetorix exercitum in Bituriges 2) duxit, sed Caesar paucis copiis coactis incursionem fecit in fines Arvernorum, qua Vercingetorigem a Biturigibus abducat 3). Sed Caesar jam ante ejus adventum rursus discessit, quod de Caesare ipso verum est, de ejus copiis non ita. Ipse enim Viennam et inde per fines Aeduorum ad Lingones profectus est 4), ut legiones arcesseret, quae in parte septentrionali Galliae hiemabant. Vercingetorix post Caesaris discessum, ut Dio (cap. 34) narrat, exercitum in Bituriges reduxit, et urbem Avaricum cepit, dum apud Caesarem invenimus eum, hoc fecisse quum comperisset Caesarem comparasse legiones 4), urbemque Avaricum ab Arvernis non esse captam, sed totam Biturigum

1) De B. G. VI. VII. 1—4.
2) De B. G. VII. 5.
3) De B. G. VII. 8.
4) De B. G. VII. 9.

gentem se post discessum Aeduorum, qui iis contra Vercingetorigem auxilio venerant, statim cum Arvernis junxisse 1), quod prima eorum incursione in Biturigum fines factum est.

Dio deinde statim ad Avarici obsidionem transit, omissis omnibus, quae Caesar cap. 10—13 narrat. Quae de hac obsidione tradit sat bene cum Caesare 2) consentiunt, si unum excipis, quod de expugnatione ipsa narrat. Dicit enim milites Romanos ab expugnatione effuso imbre in castra esse compulsos et Gallos deinde etiam in domos suas esse coercitos, quo facto Romani statim moenia viris nudata aggressi urbem ceperunt. Apud Caesarem 3) autem legimus hunc imbrem non inutilem ad urbem capiendam fuisse, quod custodiae paulo incautius in muro dispositae erant. Nihil dicit de militibus, qui imbre in castra redierunt neque credibile est milites veteranos, duros homines, qui summa patientia aestus et frigora ferebant, hoc fecisse. Fortasse Dionem in errorem induxit, quod Caesar 4) dixit se imbre coörto suos languidius in opere versari jussisse. Praeterea commemorat aliquid esse factum, quum Avaricum jam obsideretur, quod re vera ante obsidionem factum est. Dicit Gallos omnia non solum agros vicosque, sed etiam urbes incendisse, unde aliquid commodi Romani capere possent, ut pabulatione et commeatu Romani prohibeantur. Quod Caesare 5) auctore jam ante

---

1) De B. G. VII. 5.
2) De B. G. VII. 17—28.
3) De B. G. VII. 27.
4) De B. G. VII. 27.
5) De B. G. VII. 14.

Avarici obsidionem suadente Vercingetorige factum est. Invito Vercingetorige solum Avaricum defendi placuit 1).

In capite 35 Dio narrat, quae post Avaricum captum usque ad Gergoviae obsidionem facta sunt, in quibus nihil omnino a Caesare 2) differt, praeterquam quod dicit eum ratibus flumen Elaver trajecisse, quum Caesar ipse tradit se ad flumen trajiciendum isdem sublicis, quarum pars inferior integra remanserat, refecisse unum ex pontibus, quos Vercingetorix interruperat. Quamquam non est magni momenti neglegentia Dionis ex ejusmodi erroribus apparet.

Cap. 36 de Gergoviae obsidione agit, in quo multum a Caesare diflert, sed pleraque in hoc capite tam sunt confusa et obscura, ut cum commentariis vix comparari possint. Quae dicit de urbis situ et de castris Vercingetorigis in medio monte positis cum Caesare 3) consentiunt. Quod autem narrat Romanos, quum Caesar ad pacandos Aeduos qui defecerunt profectus esset, cladem accepisse, non verum est. Caesar cum quatuor legionibus aberat duasque in castris reliquerat, quas Galli Caesare absente aggressi sunt. Castra autem non ceperunt et postero die quum eas iterum aggredi in animo haberent, Caesar jam reversus erat 4). Omisit Dio praeterea cladem, quam re vera Romani acceperunt, quum Caesar occasione oblata castra Gallorum in medio monte capere voluit 5). Cetera in hoc capite ut jam supra dixi tam sunt confusa et obscura, ut missa faciam.

---

1) De B. G. VII. 15.
2) De B. G. VII. 35, 36.
3) De B. G VII. 36.
4) De B. G. VII. 41.
5) De B. G. VII. 45—51.

Quae Dio cap. 37 de seditione Aeduorum narrat omnia a Caesare affirmantur. Litaviccus cum quibusdam aliis defectionis consilium init et praeficitur nonnullis militibus, quos Aedni Caesari annilio mitterunt. Caesare 1) auctore non nonnullis sed decem milibus militum praefuit. Praemittit Littavicus equites quosdam eosque jubet, ut reverterentur et nuntiarent omnes Aeduos, qui in castris Romanis versabantur, esse interfectos. Quo facto decem illa milia a Caesare deficiunt 2), qui defectione nuntiata statim cum quatuor legionibus in Aeduos proficiscitur, eosque vivos et incolumes praemittit, quos Littaviccus interfectos dixerat 3). Deinde seditione sedata Gergoviam revertitur 4). Post reditum Gergoviae cladem accepit, cujus cladis ut jam supra 5) dixi Dio mentionem non facit. Sed fortasse hujus cladis mentio in initio cap. 38 latet ubi ita dicit: *αὖθις δὲ τῶν Ῥωμαίων πρός τε τῇ Γεργοονίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος ἀπουσίᾳ πταισάντων.* Jam antea 6) de clade Romanorum Caesare absente mentionem fecit et quod modo per unum diem 7) afuit ateram cladem Romani eo absente accipere non potuerunt. Si quis igitur pro verbis *τῇ τοῦ Καίσαρος ἀπουσίᾳ* probabilem emendationem invenire poterit fortasse hoc loco Dio mentionem fecit cladis quam Romani post Caesaris reditum acceperunt. Sed etiam

---

1) De B. G. VII. 37.
2) De B. G. VII. 38.
3) De B. G. VII. 40.
4) De B. G. VII. 41.
5) Vid. pag. 63.
6) Cap. 36.
7) De B. G. VII. 41.

fieri potest eum idem proelium, quod non fuit clades 1) bis commemorasse. Quae apud Dionem statim post haec verba sequuntur etiam corrupta sunt, eaque de causa non apparet, quid sibi velit, sed reliqua quae narrat de defectione Aeduorum cum Caesare consentiunt 2). Quod autem addit Caesarem statim conatum esse in Aeduos proficisci, sed flumine Ligere obstante se ad Lingones convertisse neque ibi quicquam efficisse minime verum est, quod jam statim apparet, si animadvertis Caesari sive se ad Aeduos sive ad Lingones converteret aeque necesse fuisse Ligerem trajicere. Accedit praeterea, quod Caesare 3) auctore soli Lingones cum Remis et Treveris per totum hoc bellum amicitiam Romanorum sequebantur. Itaque non credibile est eum in Lingones esse profectum et pro certo ponere possumus eum trajecisse Ligerem. Quod non solum ex verbis Diones apparet sed etiam a Caesare 4) ipso affirmatur, ita enim de his rebus dicit: „Itaque admodum magnis nocturnisque itineribus confectis contra omnium opinionem ad Ligerem venit, vadoque per equites invento pro rei necessitate opportuno, ut brachia modo atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aqua esse possent, disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque hostibus primo aspectu perturbatis incolumem exercitum traduxit frumentumque in agris et pecoris copiam nactus repleto his rebus exercitu iter in Senones facere instituit."

1) Vid. pag. 63.
2) De B. G. VII. 54. 55.
3) De B. G. VII. 63.
4) De B. G. VII. 56.

Jam vides Caesarem neque conatum esse Aeduos aggredi, neque iter fecisse in Lingones, neque non trajecisse flumen Ligerem. Ut Caesari etiam magis crederes praeterea omnium, quae fecit, rationes reddidit dicens se haec maxime ea de causa fecisse, quod abjuncto Labieno atque iis legionibus, quas una miserat, vehementer timebat 1), quod sin dubio verum est. Quae Dio in ultima parte hujus capitis narrat de iis, quae a Labieno gesta sunt a Caesare 2) affirmantur.

Quae apud Dionem cap. 39 legimus, ipse dicit ante Labieni victoriam esse facta, sed Caesare 3) auctore post Labieni reditum facta sunt. Narrat Vercingetorigem victoriis elatum Caesarem contempsisse et ea de causa Allobrogibus bellum intulisse, sed nihil ex his verum esse invenitur. Primo Caesarem non comtemnebat, dixit enim 4) se neque fortunam esse temptaturum neque in acie dimicaturum, sed quoniam abundat equitatu perfacile esse factu frumentationibus pabulationibusque Romanos prohibere et eo modo per totum annum bellum gessit. Deinde non ipse in Allobroges profectus est, sed Aeduos jubet iis bellum inferre 4). Quod sequitur Caesarem in fines Sequanorum venisse ibique inter eos esse pugnatum, etiam in commentariis 5) legimus, sed de modo atque ratione pugnae toto coelo inter se differunt. Narrat Dio Vercingetorigem circumdedisse Romanos, sed ea re eos coegisse, ut desperatione salutis fortiter

---

1) De B. G. VII. 56.
2) De B. G. VII. 57—62.
3) De B. G. VII. 62 sqq.
4) De B. G. VII. 64.
5) De B. G. VII. 66.

pugnarent. Quibus rebus et propter Germanos, quos Caesar auxilii causa secum habebat Vercingetorix victus est et Caesar victoriam reportavit. Apud Caesarem 1) autem invenimus Romanos a Gallis non esse circumdatos, sed Gallos equitatu tripartito diviso Romanorum equitatum esse agressos et addit initium victoriae esse factum a Germanis, qui a dextro latere summum jugum nancti hostes loco depulserunt. Praeterea Dio de pugna inter totos exicitus cogitare videtur, dum ex Caesare constat Vercingetorigem equitatu modo pugnam commisisse. Minime enim credibile est Caesarem narrare se minorem victoriam reportasse quam re vera reportaverat. Fugato igitur Gallorum equitatu, quo maxime confidebant. Vercingetorix copias reduxit protinusque Allesiam iter facere coepit, de cujus obsidione Dio cap. 40 hujus libri agit. Una re excepta de hac obsidione prorsus eadem ac Caesar 2) narrat. Vercingetorix, quum inopia frumenti premeretur, omnes mulieres ac liberos reliquosque bello inutiles oppido expulit sperans, ut haec multitudo a Romanis praedae causa recepta servaretur. Caesar autem dispositis in vallo custodibus eos recipi prohibebat 3). In commentariis his rebus nihil omnino additur, sed apud Dionem invenimus hosce omnes intra oppidum et castra miserrime periisse. Quod fortasse verum esse potest, sed non verisimile videtur. Caesar enim, me judice, id si re vera factum esset commemorare non neglexisset. ut demonstraret quanta ferocia et petinacia Galli

---

1) De B. G. VII. 67.
2) De B. G. VII. 69—89.
3) De B. G. VII. 78.

bellum centra Romanos gessissent. Sed pro certo nihil affirmari potest.

Tandem Alesia, Gallis qui auxilio venerant devictis, capitur, Vercingetorix, ut Caesar ipse 1) simpliciter narrat, deditur, arma projiciuntur. De hac deditione Vercingetorigis Dio cap. 41 fabulas nobis narrat, quas quoniam prorsus nullius sunt momenti missas facio. De qua re si quis dubitat et opinatur in ejusmodi narratiumculis aliquid veritatis inesse, is legat, quae Plutarchus 2) et Florus 3) de eadem re dicunt et videbit eos quoque narrare fabulas ab iis, quas Dio commemorat, plane diversas.

Pervenimus tandem ad finem hujus capitis. Omnia quae Caesar ipse de bello Gallico scripsit et quae Dio memoriae prodidit comparavi. Videamus igitur in sequenti capite quod inde de auctoritate Dionis in historia enarranda concludere possimus.

---

1) De B. G. VII. 89.
2) Plut. Caes. 27.
3) Florus I. 44.

CAPUT TERTIUM.

Jam statim ex iis, quae in priore capite dixi, apparet Dionem non esse magnae auctoritatis historicum. Nullum enim fere caput invenimus, in quo non unum aut etiam complures errores commisit, quorum quatuor omnino causae esse videntur, de quibus breviter dicam.

1°. Innumerabiles errores neglegentia commisit, quod memoria confisus ea in historias rettulit, quae neglegenter saepe legerat, de qua re jam saepius 1) dixi et operam dedi in praecedentibus, ut appareret quo modo ejusmodi errores sint orti, quod plerumque, si quis Caesaris commentarios adhibet, statim apparet. Cujus rei, si quis etiam nunc dubitat hoc esse verum, luculentum exemplum afferam. De judicio Clodiano, quod anno 61 a. Chr. n. factum est Dio 2) ita dicit: *καὶ κατηγορήθη μὲν* (Clodius) *τῆς τε μοιχείας, καίπερ τοῦ* Καί-

1) Pag. 17, 18, al.
2) D. C. XXXVII. 46.

σαρος σιωπῶντος, καὶ τῆς μεταστάσεως τῆς περὶ Νίσιβιν, καὶ προσέτι καὶ ὅτι τῇ ἀδελφῇ συγγίγνοιτο, ἀφείθη δὲ etc., dum constat quum ex Suetonio 1) tum ex Ciceronis epistulis 2), ne alios auctores afferam, Clodium accusatum esse neque de stupro cum Caesaris uxore, neque de seditione apud Nisibin, neque de incestu cum sorore, sed causam dixisse de pollutis sacris, de incestu cum Caesaris uxore in ejus domo commisso. Sacra Bonae Deae celebrabantur in domo C. Caesaris praeloris, quibus sacris nefas est ullum virum interesse, sed Clodium veste muliebri sese in Caesaris aedes insinuavit, ut cum ejus uxore conveniret, quod Dio 3) ipse narravit. Sed hic repente oblitus est non stuprum crimen fuisse neque seditionem apud Nisibin, neque incestum cum sorore, sed pollutionem sacrorum. Si rogas quo modo fieri potuerit eum tantum commisisse errorem hanc fortasse causam ejus rei invenies. Legit oratiorum, in qua multa dicebantur „de nefario stupro," „de flagitiosissima seditione apud Nisibin," „de turpissimo erga sororem Clodiam amore," perpauca de crimine ipso, quod in causa Clodiana facile fieri potuit, quoniam Cicerone 4) auctore Hortensius, qui aut ipse accusator aut inter subscriptores fuisse videtur, et sibi et aliis persuaserat nullis illum judicibus effugere posse. Hanc orationem Dio se legisse meminit, ex ea commemoravit, quae primum memoriae occurrebant atque eo modo errores commisit, quos aliter committere non potuerat. Eodem modo quo hoc loco

1) Sueton. Caes. 6 et 74.
2) Cic. ad Att. I. 14 et 16.
3) D. C. XXXVII. 35.
4) Cic. ad Att. I. 16. 2.

Hortensii aut alius cujusdam oratione usus est, aliis locis ex Caesaris commentariis hausit, cujus rei exempla in priore capite passim inveniuntur.

2⁰. Altera causa veritatis celandae aut detorquendae multo gravior est. Oderat Caesarem et ea de causa multa ei imputavit, quae non solum ab eo non facta sed ne cogitata quidem sunt. Quantopere in historia enarranda amore et odio ductus fuerit, unusquisque statim videbit, dummodo legerit, quae de Augusto et de Cicerone narrat, quamquam etiam in Caesare satis apparet. Malignum fert judicium de ejus natura et indole 1), maligne narrat quae Caesare praetore in Hispania facta sunt 2), admodum maligne dicit Eburones tum nihil movisse, quum Caesar in eos profectus est 3) et multis aliis locis res ita narrat, ut aut ipse Caesarem vituperare possit, aut lector quidem eum vituperet. Huic rei altera causa accedit. Verisimile est Dionem multis locis adhibuisse Suetonium, eumque igitur cognitum habuisse judicium Pollionis 4) de Caesaris commentariis, de qua re paulo post accuratius agam, sed prius paucis exemplis demonstrare conabor Suetonii vestigia re vera in Dionis libris inveniri. Narrat Dio 5) Caesarem, si qua occultius perferenda erant, in epistulis semper quartum elementorum litteram, idest D pro A, et perinde reliquas commutasse. Quod etiam apud Sueto-

1) D. C. XXXVII. 37. XXXVIII. 11.
2) D. C. XXXVII. 52, 53.
3) D. C. XL. 32. vid. pag. 60.
4) Vid. pag. 2. sqq.
5) D. C. XL. 9.

nium 1), sed apud nullum alium scriptorem legitur, de qua re jam supra 2) dixi.

Alterum exemplum initio libri quadragesimi quinti 3) apud Dionem invenimus, ubi multa portenta, somnia et omina narrat, quae ad futuram Augusti magnitudinem pertinent. Haec omnia Dio, paucis stultis et ineptis additis, primis ultimisque duobus omissis ex Suetonio 4) hausit et iisdem saepe verbis eodemque fere ordine in historias rettulit, quo apud Suetonium inveniuntur.

Tertium exemplum afferam et in hoc, quamquam permulta addere possem, finem faciam. Narrat Suetonius 5) patrem suum Suetonium Laetum, qui bello inter Vitellium et Othonem interfuerat, „referre solere Othonem ad despiciendam vitam esse concitatum manipularis militis exemplo, qui cum cladem exercitus (apud Betriacum) nuntiaret nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes ejus incubuerit. Hoc viso proclamasse eum ajebat, non amplius se in periculum tales tamque bene meritos conjecturum." Hoc idem, quod vix ex alio scriptore quam ex Suetonio ipso haurire potuit, Dio 6) memoriae prodidit, ut vix ullum dubium reliquum esse videatur, quin in historiis Suetonio usus sit.

---

1) Caes. 56.
2) Pag. 13.
3) Cap. 1 et 2.
4) Sueton. Aug. 94.
5) Sueton. Otho. 10.
6) D. C. LXIV. 11, 12.

Itaque Pollionis judicium cognitum habuit eoque confisus multa, quae apud Caesarem legerat, perperam rettulit et ubicumque Caesar dixit aequo Marte esse pugnatum aut se paucos de suis perdidisse, de clade Romanorum cogitabat 1). Cujus rei exempla quadam diserte jam in priore capite indicavi, quod si quis per legere velit, ejusdem modi exempla passim inveniet et facile concedet hanc innumerabilium gravissimorum errorum causam fuisse. Haec est causa cur Dio nonnumquam tantopere a commentariis discrepet, ut paene eum in Gallici belli historia conscribenda non Caesare sed alio quodam scriptore usum esse putemus. Sin autem in priore capite comparatione inter Dionem et Caesarem instituta demonstravi 1^{0}. eum sine dubio Caesaris commentariis esse usum; 2^{0}. omnia, quae discrepant, a Dione aliter esse tradita propter unam ex hisce quatuor causis, in quibus explicandis nunc occupatus sum, jam probavero eum in hac parte historiae suae nullo alio fonte, nisi Caesaris commentariis esse usum. Max Grasshof 2), qui in Germania libellum conscripsit de fontibus et auctoritate Dionis Cassii, contrariam sententiam profert. Putat Dionem in Gallici belli historiae duobus fontibus esse usum et ita de ea re dicit 3). „Alterum fontem Caesarem ipsum alterum scriptorem a Caesare plane discrepantem fuisse oportit." Suspicatur hunc scriptorem fuisse Assinium Pollionem, quod nullo modo verum esse potest, si Pollio modo de bellis civilibus scripsit, quod in capite

1) Vid. hujus diss. pag. 27, 39, al.

2) Max Grasshof „de fontibus et auctoritate Dionis Cassii," Bonn 1867, cujus librum ea de causa affero, quod eum laudari saepius vidi.

3) pag. 21.

primo dissertationis mea demonstrare conatus sum. Deinde putat 1) Dionem in una quaque parte libri sui non nisi unum fontem adhibuisse, quod perspicue falsum est, si ut supra demonstravi in judicii Clodiani historia etiam orationibus usus est. Incredibile enim esset eum hausisse ex orationibus, si unum tantum historicum in singulis rebus enarrandis adhibuisset. Praeterea Dio ipse (Lib. I. cap. 2) contrarium dicit: .... πάντα ὡς εἰπεῖν τὰ περὶ αὐτῶν τισι γεγραμμένα, συνέγραψα δὲ οὐ πάντα, ἀλλ' ὅσα ἐξέκρινα, ubi vix aliud quicquam suppleri posse videtur ac ἀνέγνωκα aut aliud quid ejusmodi.

Deinde Grasshof 1) suspicatur Dionem hausisse ex scriptore, qui et Caesarem et Asinium Pollionem legerat et tandem hunc scriptorem fuisse Livium contendit.

Prudentius fortasse fecisset, si paulo minus suspicatus esset atque demonstrasset epitomas Livianas magis cum Dione quam cum Caesare consentire. Quod quia non fecit ego eas etiam magis quam et ostendam Livium cum illis scriptoribus componam Dionem in Gallici belli historia Caesaris commentarios tamquam unicum fontem adhibuisse neque tam negligenter fonte suo esse usum. Epitomae Livianae, ut in tam brevi narratione rerum gestarnm vix aliter fieri potest, plerumque et cum Dione et cum Caesare consentiunt. Nullum locum inveni, ubi a Caesare discrepant, sed tribus locis cum Dione non consentiunt. Primus locus legitur Lib. CIV: „ac deinde contra Nervios unam ex his civitatibus cum magno

---

1) pag. 23.
2) pag. 24.

ciscrimine pugnavit, eamque gentem delevit, quae bellum gessit donec ex sexaginta milibus armstorum trecenti superessent, ex sexcentis senatoribus tres tantum evaderent", quod, numero trecentorum excepto plane cum Caesare 1) consentit, qui dicit quingentos armatos Nerviorum superfuisse: Sed non magni momenti est hos numeros inter eos non convenire, quod veteres historici in his perraro consentiunt. Plutarchus 2) e. g. dicit sexaginta milia armatorum et quingentos senatores Nerviorum fuisse et superfuisse armatos quingentos, senatores tres. Multo minus quam cum Caesare in his Livius cum Dione 3) consentit, qui alia ac Livius ex Caesare sumpsit, alia omisit.

Locus alter legitur Lib. CVII: „C. Caesar, Treveris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit, nulloque ibi hoste invento reversus in Galliam Eburones et alias civitates, quae conspiraverant, vicit et regem Ambiorigem in fuga persecutus est;" quae accurate cum Caesare 4), non cum Dione 5) consentiunt. Caesar enim dicit se esse reversum, quod Suevi se ad extremos suos fines receperant atque ibi Romanos exspectare constituerant, quod idem est ac quod Livius narrat eum nullo hoste in Germania invento in Galliam esse reversum; Dio contra contendit eum Suevorum metu ex Germania decessisse. Deinde apud Dionem invenimus Caesaram primum Ambiorigem esse persecutum, tunc expeditionem in Germa-

---

1) De B. G. 22—21.
2) Plut. Caes. 20.
3) D. C. XXXIX. 3. vid. hujus diss. pag. 32.
4) De B. G. VI. 9—10, 29—43.
5) D. C. XL, 32.

maniam fecisse et tandem in Galliam reversum bellum suscepisse cum Eburonibus. Caesar et Livius autem ambo narrant eum primum transisse Rhenum et tunc bellum gessisse cum Ambiorige et Eburonibus 1). Tertius locus legitur Lib. CVII in fine: „praeterea res gestas a C. Caesare adversus Gallos, qui prope universi Vercingetorige Arverno duce defecerunt et laboriosas obsidiones urbium continet, inter quas Avarici Biturigum et Alesiae Arvernorum," unde colligi potest Livium non quemadmodum Dionem 2) praetermisisse expugnationes urbium Vellaumoduni, Caenabi et Novioduni 3).

Quo modo igitur Grasshof dicere possit periochas librorum 103—108 brevibus verbis haec bella ita narrare, ut a Dione longius narrantur, non intelligo. Multo magis Livius cum Caesare quam cum Dione consentit et profecto non tam multos neque tam stultos errores committit. Sed ad errcrum causas redeo.

3⁰. Tertia causa. quae non paucos errores peperit, haec est, quod Dio omnium rerum rationes reddere studet et saepe tam ineptas profert, ut risum tenere vix possimus. Rei militaris imperitus saepe non intelligit; quare quaeque facta sind et saepissime timori imputat, quae prudentia imperatoris facta sunt 4). Ubicunque a Caesare causa alicujus rei, quam aut ipse fecit aut Galli fecerunt, non traditur,

1) Vid. hujus diss. pag. 58 sqq.
2) D. C. XL. 34.
3) Caes. de B. G. VII. 11—31.
4) Vid. hujus diss. pag. 20, 32, 59, al.

causa sive vera sive falsa a Dione fingitur; saepe etiam si causam a Caesare dictum non verisimilem putat, ipse alteram plane diversam narrat, quarum rerum complura exempla in priore capite inveniuntur 1). Unum et alterum exemplum hic afferam. Tradit Dio Nervios trans flumen Sabim consedisse et ex planitie decedisse, quod impares ad pugnam fuerunt, quum re vera hoc fecerunt, quod in planitie pugnam committere cum Caesaris equitatu non audebant.

Alio loco contendit Venetos velis ex pellibus uti, ut venti vim magis exciperent, quod quam stultum est unusquisque statim intellegit. Apud Caesarem 2) autem legerat eos hoc facere sivi lini inopia, sive quod vela ex lino confecta tantos impetus ventorum sustinere non poterant; sed Caesari non credidit et errare maluit quam cum Caesare vera tradere.

4⁰. Quarta causa haec esse videtur, quod natura et studio orator erat. Nihil ei sat pulchrum atque ornatum dictum esse videbatur, omnia calamistris suis inurere volebat. Exempli gratia in memoriam revoco stultissimam orationem, quam Caesarem Vesontione in bello cum Ariovisto apud centuriones et tribunos militum habuisse dicit, quum ingenti magnitidine Germanorum et incredibili virtute atque exercitatione in armis a mercatoribus Gallis nuntiatis perterriti essent. Commemoro descriptionem pugnae cum Ariovisto atque pugnae navalis cum Venetis, de quibus rebus et de nonnullis aliis ejusdem generis jam supra 3) dixi, ut

1) Vid. hujus diss. pag. 32, 16, 22, 23, al.
2) De B. G. III. 13.
3) Vid. hujus diss. pag. 27, 38, al.

appareret quae auctoritas Dioni in hujusmodi rebus sit tribuenda, quae profecto neque in his neque in ceteris magna est.

Exposui causas, quibus factum esse videtur, ut tam multis locis Dio veritatem non tradiderit. Vidimus eum in parte libri sui, quae agit de bello Gallico, persaepe admodum neglegenter fonte suo esse usum, saepe etiam consulto commutasse, quae ibi invenerat. Quod si in hac parte historiae fecit, verisimile est hoc idem ab eo in ceteris partibus esse factum. Admodum cante et circumspecte igitur Dionem esse adhibendum censeo neque magnam auctoritatem ei esse tribuendam puto quippe cui et studium veritatis deest, et qui ne tantam quidem diligentiam adhibuit, ut recte et ordine referret, quae in fontibus suis invenerit.

THESES.

THESES.

I.

Thucyd. V. 45:

(Βουλόμενος δὲ αὐτοὺς Νικίου τε ἀποστῆσαι) ταῦτα ἔπρασσε (καὶ) ὅπως ἐν τῷ δήμῳ διαβαλὼν αὐτοὺς ὡς οὐδὲν ἀληθὲς ἐν νῷ ἔχουσιν οὐδὲ λέγουσιν οὐδέποτε ταὐτά, τοὺς Ἀργείους καὶ Ἠλείους καὶ Μαντινέας ξυμμάχους ποιήσῃ.

Delenda, quae uncis inclusi.

II.

Demosth. πρὸς Λεπτίνην 160:

οὐκ ἔνι τοῦτον ἔχειν καλῶς τὸν νόμον, ὃς περὶ τῶν παρεληλυθότων καὶ τῶν μελλόντων ταὐτὰ λέγει.

Leg. οὐ ταὐτὰ λέγει.

III.

Demosth. *περὶ τοῦ στεφάνου* 49:

καὶ διὰ τοὺς πολλοὺς τουτωνὶ (καὶ τοὺς ἀνθισταμένους τοῖς ὑμετέροις βουλήμασιν) ὑμεῖς ἐστὲ σῷ καὶ ἔμμισθοι, ἐπεὶ διά γε ὑμᾶς αὐτοὺς πάλαι ἂν ἀπωλώλειτε.

Delenda, quae uncis sunt inclusa.

IV.

Ibid. § 125:

οὗ δ' ἐγὼ μὲν ἀθῷος ἅπασι, τοῖς νόμοις, τ ῷ χ ρ ό ν ῳ, τῇ προθεσμίᾳ, τῷ κεκρίσθαι περὶ πάντων πολλάκις etc.

Dele *τῷ χρόνῳ*.

V.

Demosth. *περὶ τῆς Παραπρεσβείας*. 51:

ο ὐ δ ὲ τοιαῦτα λέγειν τούτῳ προσέταττεν, ἐξ ὧν ἥκισθ' ὑμεῖς ἐμέλλετ' ἐξιέναι.

Leg. *οὐδ' ἂν* etc.

VI.

Ibid. § 232:

τίς προῖκα πρεσβεύειν, ε ἰ μ ή τ ε λ α β ε ῖ ν μ ή τ ε τῶν εἰληφότων ἀξιοπιστότερον παρ' ὑμῖν εἶναι δοκεῖν ὑπάρξει;

Lege *εἰ τὸ μὴ λαβεῖν μηδὲ* etc.

VII.

Plato Gorgias cap. XXVII in fine (pag. 472 D):

ἄλλο τι ὡς οὕτω σου νομίζοντος διανοώμεθα.

Leg.: *ἄλλο τι ἢ ὡς* etc.

VIII.

Ibid. cap. XLII. (pag. 487 A):

ἐννοῶ γάρ, ὅτι τὸν μέλλοντα βασανιεῖν ἱκανῶς ψυχῆς πέρι ὀρθῶς τε ζώσης καὶ μὴ τρία ἄρα δεῖ ἔχειν, ἃ σὺ πάντα ἔχεις etc.

Pro *καὶ* legendum *ἤ*.

IX.

Appianus *Συριακή* 10:

ἔς τε τὴν Ἰταλίαν, ὑμῶν οὐδενός πω θαρροῦντος, ἐμβαλὼν τετρακόσια ἀνέστησα ἄστη etc.

Pro *πω θαρροῦντος* legendum *ἰσορροποῦντος*.

X.

Ibid. cap. 15:

οὕτω μὲν ὁ Ἀντιόχου τε καὶ Ῥωμαίων πόλεμος, ἐκ πολλοῦ δι' ὑπονοίας ἀλλήλοις γενόμενος, τότε πρῶτον ἀπερρήγνυτο ἐς ἔργον.

Pro *γενόμενος* leg. *γενομένων*.

XI.

Ibid. cap. 19.

ἔδεισαν οἱ τοῦ βασιλέως, περί τε τῆς Ῥωμαίων μάχης ἐπιφόβως ἐκ πολλοῦ πυνθανόμενοι, καὶ σφᾶς εἰδότες ὑπὸ ἀργίας

τε καὶ τρυφῆς δι' ὅλου τοῦ χειμῶνος ἐς δυσεργίαν διεφθαρμένους.

Lacuna est inter *ἐκ πολλοῦ* et *πυνθανόμενοι*, in qua supplendum videtur: *ἔχοντες, τὴν ἀρετὴν αὐτῶν.*

XII.

Plut. Cicero 9:

λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ... κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθώς etc.

Pro *ὑπ' αὐτοῦ* legendum *ἐπ' αὐτοῦ.*

XIII.

Plut. Caesar 46:

ταῦτά φησι Πωλίων 'Ασίνιος τὰ ῥήματα ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι.

Lege: *ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ γεγράπται.*

XIV.

Dio Cassius XXXVII. 56. 5:

ἐπὶ τοσοῦτον ἐν τῷ μέρει κεχαρισμένα ἀμφοῖν σπουδάζων, ἐφ' ὅσον ἤμελλε τοῦ μὲν καταθυμίου παντὸς ἑκατέροις αἰτιαθήσεσθαι, τῶν δὲ δυστυχεστέρων μὴ μεταλήψεσθαι.

Pro *δυστυχεστέρων* legendum *δυσχερεστέρων.*

XV.

Dio Cassius XXXVIII. 18. 5:

εἰ μὲν γὰρ αὐτάρκης ἑαυτῷ ἦσθα, οὐδὲν ἂν ἡμῖν τῶν λόγων τούτων ἔδει.

Lege: *αὐτάρκης σεαυτῷ.*

XVI.

Cicero ad fam. XIII. 19. 2:

Totam tibi domum commendo, in his adulescentem filium ejus, quem C. Maenius Gemellus, cliens meus... adoptavit.

Cum Klotz legendum est: C. Memmius Gemellus.

XVII.

Ovid. Epist. ex Ponto II. 7. 43. sqq.:

Nec magis assiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis,
Pectora quam mea sunt serie caecata malorum.

Lege: calcata.

XVIII.

Ovid. Trist. III. 4. 69. sqq.:

Quod quoniam est anceps, intra mea pectora quemque
Adloquar, et nulli causa timoris ero.
Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahit. Occulte si quis amabat, amet.

Pro „protrahit" legendum „protrahet".

XIX.

Liv. X. 7:

Cujus imaginis titulo consulatus censuraque et triumphus aequo animo legitur, si auguratum aut pontificatum adjeceritis, qui sustinebunt legentium oculi.

Post „qui" inserendum „non."

XX.

Liv. XXIII. 16:

Ingens eo die res ac nescio an maxima illo bello gesta sit, non vinci enim ab Hannibale vincentibus difficilius fuit quam postea vincere.

Pro „vincentibus" lege „vinci solitis."

XXI.

Tacit. Ann. VI. 1:

Vos obtestor, ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt.

Post „nostri" insere „potius."

XXII.

Curtius Rufus III. cap. XI. (27) 15:

Equi pariter equitesque Persarum serie laminarum ob id genus graves certaminis, quod celeritate maxime constat, aegre moliebantur.

Leg.: serie laminarum graves ob id genus certaminis etc.

XXIII.

Curtius Rufus VI. IX. (34) 19:

Videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere, si, in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem.

Lege: viliores mihi dicerem.

XXIV.

Het verhaal van Plutarchus (Cimon 8), dat Cimon door den Archont Apsephion tot rechter in den wedstrijd tusschen Aeschylus en Sophocles is aangewezen, is onwaar.

LUGD.-BAT.: TYPIS L. VAN NIFTERIK HZ